
COLL. REG. MED. LOND.
MDXVIII
Ο ΒΙΟϹ
ΤΕΧΝΗ
ΒΡΑΧΥϹ Η
ΔΕ
ΜΑΚΡΗ

Bremen the 24 Nov. 1815.

Sir.

I take the liberty of sending you a copy of a treatise on the Croup, written by me some years ago, and now published for the first time. — It was written in consequence of a prize offered by Napoleon, for the best treatise on the subject, and I had the honour of sharing the prize with Professor Jurine at Geneve ~~at~~ on the occasion. After a lapse of several years many amendments present themselves, which would have induced me to alter the whole form of the treatise, but this you will observe. I am not at liberty to

do, for the reasons explained in the
Preface.
I have taken the liberty of dedicating
this treatise to the Royal College of
Physicians of London, whose collective
members I beg you will assure of
my sincere and grateful esteem.
No person is ~~much~~ more sensible than
I am of the numerous benefits which
~~the~~ medical science has derived from
their superintending labours.
I take this opportunity also of sending
you the books you some time since
ordered, and I assure you, I shall
always execute with much alacrity
any similar commissions you

may send me

I have the honour to be

Sir

Your most ~~obedient~~ humble servant

Albert R.

enclos'd to Dr Cox Librarian
College of Physicians London

„Satis praestitimus, si quando subactum ingenium indefessa observatione et larga „experientia eo eluctatur, ut eruat methodum, humani corporis affectus morbosos decli-„nandi atque tollendi.“

C. G. WAGLER, de morbo mucoso, p. 1. 2.

COLLEGIO REGIO MEDICO

LONDINENSI

IN TESTIMONIUM SUMMAE VENERATIONIS

DICATUM

BREMAE
V. IDUS OCTOBRIS
CIↃIↃCCCXV.

A

IOHANNE ABRAHAMO ALBERS, M. D.

mus, morbi illius studia, ex quo iam commentatio de eo conscripta Parisias transmissa esset, fieri non potuit, quin ipso anno huius saeculi duodecimo, quo una cum Viro doctissimo *Jurinio*, Professore Geneviensi, praemium partiri nobis contigerit, illam in lucem iam emissuris, iusto citius ea nobis admodum manca videretur. Hinc viros diiudicandorum ipsorum, quae praemium peterent, scriptorum in finem ab Imperatore convocatos, omnibus adivimus precibus, ut libelli nostri retractandi demum atque tum in lucem edendi potestatem nobis facerent. Quibus autem *Lepreusius*, collegii illius praeses, plurimum colendus, et medicus apud Parisienses celeberrimus, hunc fere in modum respondit: „*Vous ne pouvez ni ne devez imprimer le mémoire jugé par la commission du croup, que dans l'état pur virginal, si Vous me permettez l'expression, où ce mémoire a été jugé par la commission. C'est une pièce justificative pour nous etc. etc.*"

Quae cum ita essent, variis, quarum subiungendarum facultas nobis concederetur, notis, quae desiderarentur adhuc aut temerius forte dicta sint, supplere tentavimus. Quibus tamen in elaboran-

dis, quum brevi convinceremur, libellum nostrum vel ita exornatum, haud tam perfectum proditurum esse in lucem, qualem optaremus, et qualem paucos etiam post annos recentem exhibituri sumus, eundem immutatum tandem hic mittimus, qualem viri supra laudati recensuerunt. Sola igitur dictio latina ut emendatior prodiret, enixi sumus, quippe quam Viri illi doctissimi licet intellectu faciliorem, parum elegantem tamen nobis exprobrassent. Tantum vero abest, ut, quae liberius hic professi simus, his severius aliquod de hoc nostro opere iudicium abolere et quasi praeoccupare studeamus, ut potius, quae reprehendenda videantur, haec liberius et apertius, quemadmodum iudices veri amantes decet, ab iis prolatum iri speremus; quo emendatior et locupletior hic noster libellus aliquot annis post recentem emittatur in lucem. Modo eundem, qualem nunc offerimus, ante hos octo annos scriptum, quantum precamur, semper intueamini ac diiudicetis! Quod si feceritis; si notitiam ipsius morbi a nobis pertractati, qualem tum temporis partam tenuissetis, sincere perpenderitis, cum eaque ipsos comparaveritis progressus in dignoscendo pariter atque curando morbo a Vobis

inde ab illo tempore factos, vix ac ne vix quidem iusto aequius iudicium de hoc nostro opere nobis metuendum sit!

Perpauci enim morbi sunt, in quorum diagnosi ac curatione perficiendis tanto cum studio nuper laboraverint, quam in tracheitide illustranda; cuius quidem studii praecipua ratio ad quaestionem illam ab Imperatore Franco-Gallorum NAPOLEONE propositam, quantum iam ad commentationem de eodem morbo a *Royero Collardio* editam et a nobis translatam praefati sumus, nobis referenda videtur. Hinc vindicata hic etiam prostent, quae iam illic contendimus, non ad ipsa quidem scripta, quae praemium ambirent, sed ad commune potius illud studium ipsa proposita quaestione excitatum omnes referendos esse profectus, quos intra hos ultimos octo annos in pertractando illo morbo fecerimus, quos autem alii imprudentes negligere, alii consulto infitiari videntur. Iam quam moleste ferendi sunt medici vel de aliis artis suae disciplinis meritissimi, qui variis, quas divulgare student, hypothesibus, ipsam huius morbi naturam, conditamque in ea curationem eius deformare et obscurare potius quam illustrare enitantur, neque magis ita ingenii sui

quam animi laudibus prospiciant, quippe qui quin opinionum suarum commenta intelligant, dubitare non possimus! Num quid vero aliud ita agunt, quam ut ipsam generis humani salutem ludificentur? Nos quidem omnes scriptores, qui novas etiam in posterum ostentaturi sint opiniones de tracheitidis natura, admoneamus, ut meditationes suas ab ipsa refutanda inchoent sententia, quae antiquata est, tracheitidem quidem morbis inflammatoriis accensendam esse; quale periculum eorum nulli, quantum persuasum nobis est, hucusque successit, et quale a pluribus iam institutum per alias etiam occasiones a nobis graviter castigatum evasit.

Tranquillo ita opperimur animo quodvis severius etiam de hoc opere feratur iudicium, quo, quae nobis anno huius saeculi septimo vera adhuc viderentur, de pertractato hoc morbo proposuimus. Quantum inde ab illo tempore emendandis etiam omnibus incubuerimus, quae a vero plus minusve abhorreant, praeter plures alios eiusmodi labores quos edidimus, eundem attingentes morbum, ipso *Iuriniano* demonstretur etiam scripto perquam erudito, quod et praefatione et notis permultis adornatum, vernaculis

litteris excudendum curavimus, et quo medicorum simul Parisiensium integritas in diiudicandis, quae praemium ambiissent, scriptis verissima defenditur. Quae per hunc nostrum libellum laudatae extant tabulae aeneae, recenti demum eiusdem editioni prodibunt subiunctae.

Scripsimus Bremae a. VIII. calendas Octobres CIƆIƆCCCXV.

Commencer par une déscription exacte et caractéristique de tous les temps de la maladie designée par cette dénomination.

(Ordiatur sermo a descriptione stadiorum morbi nomine isto appellati, eaque accurata et ad exprimendam eius imaginem idonea.)

Morbus, de quo haec commentatio agit, a Medicis descriptus est sub denominationibus diversis: quarum ego eas saltem percensebo, in quibus dubium non est, quin comprehendatur symptomatum singulorum aliquorum notatio: ut angina infantum [a]), angina infantum strangulatoria [b]), angina suffocativa [c]), angina polyposa seu membranacea [d]), angina trachealis [e]), angina infantum trachealis

a) Aurivillius et Wilcke de angina infantum. Upsal. 1764.

b) Russel in the oeconomy of nature in acute diseases. Lond. 1775. p. 72.

c) Engstroem, apud Michaëlis de angina polyposa s. membranacea, Götting. 1778.

d) Bard American Philosophical Transactions, T. I. p. 322. Philadelphia 1769. Murray de polypo bronchiarum. Vid. Nov. Comment. Götting. Vol. IV. p. 55. Michaëlis, in libro modo allegato.

e) Johnstone treatise on the malignant angina or putrid and ulcerous sore-throat to which are added some remarks on the angina trachealis. Worchester 1779.

polyposa [f]), cynanche stridula [g]), cynanche strangulatoria [h]), cynanche trachealis [i]), cynanche trachealis humida [k]), fuffocatio stridula [l]), suffocating catarrhal peripneumony [m]), orthopnée membraneuse [n]), asthma infantum suffocativum [o]), perimneumony of children [p]), morbus infantum strangulatorius [q]), morbus truculentus infantum anno 1761 Francofurti et in vicinia grassatus [r]), concretio polyposa, cava, ramosa, tussi reiecta [s]), häutige Bräune [t]).

Propria nomina eaque vulgo communiter usitata hic morbus tantummodo in Anglia, Scotia, Suecia et Germania et passim in America quoque nactus est. Sic in quibusdam Angliae regionibus

f) Lotichii diss. de angina infantum tracheali polyposa. Lugd. Bat. 1802.

g) Crawford de Cynanche stridula. Edinb. 1771.

h) Wahlboom. Vid. Michaëlis, l. c. p. 72.

i) Cullen synopsis nosologiae methodicae, Ticini Regii 1787. p. 52.

k) Rush medicinische Untersuchungen und Beobachtungen, aus dem Englischen. Leipz. 1792. p. 189.

l) Macbride introductio methodica in theoriam et praxin medicam, tom. II. p. 143.

m) Chalmers Account of the weather and diseases of South-Carolina, Vol. II. p. 69. Germanica huius libri versio prodiit Stendaliae 1792. Mirum est, hunc auctorem sub denominatione: Croup, nervous asthma, suffocatio stridula: morbum describere, quem alii asthma Millari vocant.

n) Laudun observations sur le Croup, in Recueil des observations et des faits relatifs au Croup, p. 137.

o) Cookson diss. de asthmate acuto infantum, Edinb. 1780.

p) Jacob Sim's Bemerkungen über epidemische Krankheiten, aus dem Englischen. Hamburg 1775. pag. 33.

q) Salomon und Baeck Abhandlungen der Königl. Schwedischen Akademie der Wissenschaften, aus dem Schwedischen übersetzt von Kästner. Leipzig 1776. XXXIV. Band, pag. 328 seqq.

r) Acta nova Naturae curiosorum. Tom. II. p. 157.

s) Acta Societatis medicae Hafniensis. Hafniae 1777. Tom I. pag. 76.

t) Rosenstein Anweisung zur Kenntnifs und Kur der Kinderkrankheiten, übersetzt von Murray, 6te Auflage. Götting. 1798. p. 673.

the rising of the lights vocatur; frequentius autem, sicut et in orientali Scotiae plaga Croup, in occidentali Chock, aut Stuffing. Vox Croup, auctore experientissimo Cheynio [u]), a voce plebeia Roup descendit, qua Edinburgenses inprimis hunc morbum insigniunt, fortasse a vocabulo gallico Roupie profectum. In Nova Anglia aliisque Americae Septemtrionalis regionibus: Bladder in the throat in provinciis Novae-Jersiae et Pensylvaniae, the Hives, aut si atrocior est Bowel Hives plerumque vocatur. Sueci eum Strypsiucka appellant: cui non satis respondet morbi strangulatorii nomen, in quod Suecicum illud vulgo transferunt: Suecis enim universe pro morbo colli est. In Germaniae regionibus nonnullis tussis gallinarum (Hühnerhusten), s. malum gallinarum (Hühnerweh) dicitur: quia sonitus quem tussis huic morbo propria edit, fere similis est cantui stridulo gallinae raucae. Perinde persuasum habeo, usitata in aliis Germaniae provinciis nomina: tussis spasmodicae (Krampfhusten), tussis ovinae (Schaafhusten), denique membranae in pectore (Fell auf der Brust), ipsum morbum nostrum significare; quem etiam ab Ettmüllero [w]) sub catarrhi suffocativi nomine intelligi vix dubito; quantum in historia morbi uberius ostendam.

Sed credo, hoc mihi concedi oportere, ut omnes has appellationes reiiciam, videlicet minus aptas et de singulis symptomatibus desumtas, simul neque naturam morbi, neque partem inprimis aegrotam, perspicue significantes. Nihil tamen necesse est, illas denominationes singulatim examinare: igitur sufficiat, earum vanitatem uno vel altero exemplo ostendere.

Caeteris autem usitatior est illa, quam Murraius et Michaëlis in libris laudatis proponunt; anginae polyposae quidem seu mem-

u) Cheyne Essays on the diseases of Children. Vol. I. pag. 14.

w) In Operibus medicis theoretico-practicis, fol. Francof. ad Moen. 1697.

branaceae. At vero habent illae triplicis erroris materiam. Nam angina (die Bräune) recte tantummodo ac proprie dicitur de inflammatione instrumentorum deglutitionis, vix autem ad instrumenta respirationis superiora (laryngem et arteriam asperam) traduci debeat: quantum paullo ulterius demonstrabitur. Nec apte haec angina, liceat interim hoc vocabulo uti, polyposa et membranacea nominatur: materia enim quae in arteriam asperam effunditur, non polypum aut membranam efficit. Similiter Cynanches nomen locum invenire non potest, quod probatissimis scriptoribus inflammationem viarum deglutitionis significet.

Neque melius suffocatio stridula morbus ille appelletur: quae singulare duntaxat symptoma indicat, in hoc morbo nequaquam semper deprehendendum. Idem sentiendum est de voce Croup, quae ad summum eo valet ut sonitum tussis huic morbo propriae, quodammodo agnoscas [x]).

Ex mea quidem opinione tracheitis infantum, omnium aptissima denominatio est; utpote qua certe morbi natura ac sedes exprimatur, tum vero etiam aetas ei maxime obnoxia notetur.

Sed ut denominatio, omnibus partibus absoluta esset qualem invenire vel mihi nondum contigerit, deberet ea insuper unum alterumve symptoma morbi indicare, v. c. sonitum tussis, vel copiosam illam lymphae coagulabilis atque materiae fibrosae secretionem. Variae sunt et maximopere disiunctae opiniones variorum scriptorum de morbi nostri natura. Alii enim, a vitiosa quadam membranae pituitosae in arteria aspera secretione eum repetunt; plures spasmodicum faciunt; Borrovius [a]) peculiarem ait

x) Vid. Home an inquiry into the nature, cause and cure of the Croup. 8. Edinb. 1765.

a) An inaugural dissertation on the Cynanche trachealis, by Samuel Borrowe. New-York 1793. p. 18.

esse morbum vasorum sanguinem vehentium, qualem intelligat, minime declarans. Harlesius [b]) naturam eius in abnormi affectione facultatis plasticae et organorum, quae huius vigore agunt, et maxime lymphaticorum, positam putat. Mea quidem opinione, morbus noster consistit in membranae pituitosae tum laryngis, tum arteriae asperae et ramorum eiusdem inflammatione; vix non semper coniuncta cum copiosis destillationibus lymphae coagulabilis et partium sanguinis fibrosarum. Lympham plasticam intelligo; quo nomine frequentius deinde utar; illius indolem explicaturus in ea huius commentationis sectione, quae cadaverum descriptiones exhibet. In quo quidem ego consentientes habeo scriptores plurimos [c]),

b) Hufeland Journal der praktischen Arzneykunde, 6. B. 3. St. p. 597.

c) A treatise of the nature and cure of the Cynanche trachealis, commonly called the Croup by Disney Alexander. Huddersfield 1794. 8. p. 47.

Baillie in seinen Zusätzen zur zweiten Ausgabe seiner Morbid anatomy of some the most important parts of the human body: cuius versionem germanicam multis additamentis et animadversionibus auctam 1794. celeberrimo Sömmeringio debemus. Additamenta exper. Baillie in Tomo XX. der Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Ärzte, pag. 367. in vernaculum sermonem conversa, leguntur.

Pearson, in libro: Case of Angina trachealis etc. p. 7.

Richerand, in Mémoires de la Societé médicale d'émulation, à Paris an VIII. p. 326. conversa in Sammlung auserlesener Abhandlungen für prakt. Ärzte. Tom. XX. p. 140.

Cheyne l. c. pag. 11.

Vaughan Medical-Repository, Vol. III. p. 340.

Jonas, in Hufelands Journal, Jahrgang 1801. p. 801.

Autenrieth Versuche für die praktische Heilkunde, Tom. I. Sect. I. p. 71.

Chalmer's Nachricht über die Witterung und Krankheiten in Süd-Carolina, Tom. II. pag. 74.

Sherwin medicinische Commentarien, Vol. VII. p. 88.

Vogels Handbuch der praktischen Arzneywissenschaft, Stendal 1795. Vol. IV. p. 119.

Salomon et Baeck l. c. pag. 330.

Cullen Anfangsgründe der praktischen Arzneywissenschaften, Leipzig 1778. Vol. I. § 312.

qui hanc opinionem similiter cadaverum dissectionibus evictam habuerunt.

Nihil necesse videtur, argumenta refutare separatim, quae complures medici ad hanc opinionem infringendam adhibuerunt. Nam proxima sectio, quae descriptiones cadaverum exhibet, abunde, ut spero, demonstrabit, eos, qui morbum hunc communiter Croup appellatum, quantum ipse facio, morbis inflammatoriis adnumerant, huic sententiae suae fidem facere, afferendis observationibus, quae per meras hypotheses haud facile refutentur.

Quoniam autem saepenumero in hoc morbo aliqua symptomata desunt, morbis inflammatoriis solemnia; et alia e contrario animadvertuntur inflammationi vel raro, vel imo nunquam coniuncta: nonnulli inflammationem hanc peculiaris generis esse putarunt; ita ut inflammationis catarrhalis aut erisypelatosae nomen proprium impertirent [d]); sperantes se tali modo id quod ab hac parte obscurum esset, explicare. Equidem inflammationis catarrhalis aut erysipelatosae nomen vix adhibuerim; propterea quod inflammatio membranae pituitosae in catarrhis non semper eiusdem indolis est ideoque diversam curationem quoque in diversis aegris requirit: ut omittam glandulas magis affici, quam vasa sanguinem ferentia de quibus posthac dicetur. Itaque magni momenti est, diligenter cavere ne alterum morbum cum altero confundamus.

Neque tamen his difficultatibus opus est: sufficit considerare

Archer on Cynanche trachealis commonly called Croup or Hives. Philadelphia 1798. 8. pag. 78.

Russel l. c. pag. 72.

Gölis Warnung vor der häutigen Bräune. pag. 6.

Home l. c. pag. 14.

Reil über die Erkenntnifs und Kur der Fieber. Halle 1799. 2. Band. Seit. 419.

d) Formey, in Horns Archiv für die praktische Medicin. Vol. III. Sect. 2. pag. 365.

tum partes in hoc morbo affectas, tum aetatem aegrotantium, ut plane intelligamus membranam pituitosam inflammatam ea phaenomena infantibus exhibere non posse, quae, vulgari errore, in omni inflammatione, tanquam ad eius naturam necessaria, exspectare consuevimus.

Quod etsi crebro nuper a variis scriptoribus admonitum est: tamen ne a Gallis quidem satis observatur, quanquam Pinelii atque Bichati experientia edoctis. Etenim magnopere peccarunt, quod, quia in tracheitide infantum non semper omnia signa inflammationis videbant, idcirco eam e numero inflammationum eliminarint, hypotheses autem quascunque de natura ipsius morbi excogitaverint, diversissimasque medendi rationes inaedificarint, quarum vanitatem ex eventibus curationum intelligent.

Sunt vero in hac inflammatione affectae inprimis arteriae laryngeae, tracheales et bronchiales. In quo loco repetenda mihi est celeberrimi Sömmeringii [e]) animadversio, in opusculo de structura pulmonum, digno sane corolla, quam auctor reportavit, ad secundam et tertiam quaestionem, demonstrantis, arterias bronchiales tantum majoribus tracheae ramis sanguinem suppeditare, ipsas bronchias autem ex arteria pulmonali ramulos nonnullos accipere.

Iam etsi verosimile est, haec vasa inflammata plurimum valere ad illam producendam lympham plasticam, credo tamen, glandulas pituitosas quoque inflammatas in eandem rem conferre; quas et plurimi medici [f]) praecipue affectas esse in hoc morbo intelligunt, et ego quoque in multis cadaveribus inflammatas perspicue vidi.

e) Sömmering et Reifseisen über die Structur, die Verrichtung und den Gebrauch der Lungen. Berlin 1808.

f) Bard, in Richters chirurg. Bibliothek, Vol. V. p. 744.
Archer, l. c. p. 38. Salomon et Baeck l. c. p. 340. Rosenstein a. a. O. p. 704.

Utrum ad laryngem modo, an ad arteriam asperam inflammatio pertineat, quod utrumque esse potest, haud licet definire; nam in aegrotis huius rei sufficientia signa desunt. Post mortem vero phaenomena se produnt, quae utrumque fieri ostendant. Tunc enim persaepe, laryngem cum superiore parte arteriae asperae laborasse, manifestum est. In quo casu in glottide, quam etiam probabili opinione ibi collocavit Molleius [g]) sedes morbi praecipua cernitur. An vero hac arteriae asperae inflammatione, etiam ea, quam in infantibus observamus, rami tantum eius afficiantur, incertus haereo: in tracheitide adultorum, testibus scriptoribus fide dignis, id utique reperitur. Fateor tamen, me in his nondum satis edoctum esse.

Verum diversa est huius inflammationis natura magnopere. Modo enim vera indoles inflammatoria cernitur: modo inflammationibus sic dictis nervosis, ataxicis, adynamicis, spuriis, passivis, catarrhalibus accensenda est. Quod ergo Formeius [h]) contendit, produci exsudatam lympham ab aucta vasorum actione: id tantum in priori casu obtinet; in posterioribus contrarium.

Quantum ad systema Brunonis, etsi id neutiquam a me omnibus partibus probatur: tamen credo illud in hoc loco ita quidem praestare, ut caeteris denominationibus omnibus, quae variis erroribus ansam praebere possint, nomen inflammationis sthenicae vel asthenicae, aut inflammationis cum charactere synochae vel typhi (quod Reilius praefert) substituamus, quo melius, generatim quidem designetur modus medendi. In sthenica inflammatione

g) „The chief seat of the disease seems to be in the Glottis, not far in the aspera arteria." Vid. Rutly, p. 111. in Achronological history of the weather and seasons and of the prevailing diseases in Dubliu, 8. London 1770,

h) l. c. pag. 365.

aucta irritabilitas et contractilitas vasorum, remediis debilitantibus, quae antiphlogistica vocantur, deprimi debet; in asthenica autem, in qua irritabilitas item aucta, contractilitas vero diminuta est, priora remedia raro admodum, et nunquam sine conditione adhibenda videntur; sed ea potius requiri, quae vim vasorum augent.

Sed licet praecipua huius inflammationis symptomata in utroque charactere deprehendantur; tamen pro huius characteris diversitate, magnopere ipsa variant; praesertim ubi coniunctio cum morbis exanthematicis incidit: de qua re in sequentibus dicam.

Huius inflammationis describendae initium facio sic, ut primum eam considerem plus minusve notatam.

Principium morbi non in omnibus est idem. In aliis enim subito ille irruit; in aliis plerumque praecedunt catarrhi symptomata varia. — Atque tunc infantium insolita lassitudo et somnolentia est; modo de calore, modo de frigore conquerentium; ciborum desiderium imminuitur, sitis augetur; lingua plus minusve impura fit; oculi lacrymantur; aegroti subinde sternutant, cum narium secretione paullo copiosiore; sentiunt etiam, sed hoc perrarum est, dolores in collo deglutionem impedientes, tum vero palatum cum tonsillis deprehenditur inflammatum, sonitus cum tussi coniunctus (tussis enim nunquam abest), alias ut in catarrho vulgari, et saepe cum frequenti sputo coniunctus; alias statim ab initio esse solet atque asper, raucus; ita ut haec raucedo cum tussi conjuncta peculiarem laryngis affectionem significet. Atque haec tussis crebra et assidua quidem est; sed pueri aegroti maiorem copiam salivae quam pituitae eiiciunt. Interim febris in hac morbi periodo plerumque exigua est; augetur vero cum ceteris symptomatibus versus vesperam, mane et interdiu moderatior. Quod catarrhale stadium uno die, in nonnullis biduo conficitur; ultra octiduum

equidem nunquam vidi. Verumtamen a scriptore [i]) fide digno relatum legimus, infantem quatuordecim dies continuos hoc catarrho laborasse.

At in aliis morbus subito incipit ab vehementissimis incommodis suffocationis; adeo ut quovis fere momento mors timenda sit, quam, proh dolor! duobus aegris, quibus nulla remedia exhibita fuerant, intra sex aut octo horas accidere vidi. In utroque arteriam asperam leviter modo inflammatam reperi, et lymphae plasticae perparum; ita ut credi posset, hos pueros spasmo respirationem et vitam perdidisse. Cuiusmodi exemplum memorabile nobis fuit filius mercatoris nostrae urbis undecim annorum. Ille inter chartarum lusum tali spasmo tam vehementer corripiebatur, ut chartis abiectis metu suffocationis ingentem ederet clamorem. Ego vero confestim advocatus, miserrimi pueri conspectus haud leviter perterritus fui; quippe quem vix semihoria ante optime valentem et cum sorore a febre nervosa convalescente ludentem vidissem. Prono corpore sedebat in lecto. Respirandi singularis difficultas erat, de qua deinde postea dicam. Et inprimis inspiratio sibilum emittebat sonum, qui ante ianuam cubiculi audiretur. Tussim insigniebat sonus, raucus et fuscus. Simul facies pueri alias macilenti et pallidi rubebat cum calore et similiter atque totum corpus, plena erat sudoris, pulsus parvus et frequens. Quid multa? Summis angoribus exagitatur puer, singulis temporis momentis mortem expectabat, et rauca voce levamen flagitabat. Quae eius sanandi ratio fuerit, dicetur infra.

Nocte eiusdem diei (d. 27. Jun. 1808.) infans septimestris cuiusdam amici mei hoc morbo subito irruente opprimebatur, nullo eius praecedente indicio; versus horam undecimam nocturnam vespertinam mater infantem nutrici commiserat nihil morbi habentem.

i) Field in Memoirs of the medical Society of London, Tom. V. p. 165.

Media nocte dum nutrix mammas ei praebet; tentatur repente, infans suffocatione cum frigore totius corporis. Illa vero hinc perterrita praesertim cum et raucedo adesset, et insolitus in tussiendo sonitus, citissime properat in cubiculum parentum, qui cognito tanto periculo carissimi infantis statim me curant advocari. Ipse vero cum adveniebam difficilis quidem adhuc erat respiratio; vel parentum testimonio aliquanto minus impedita. Vocem raucam reperiebam, tussim, sed describam postea. Febris modica erat, transpiratio autem satis copiosa. Praescribebam confestim remedium emeticum, e tartaro stibiato et oxymelli spuillitico paratum. Hoc effectum, ut postridie nullum amplius morbi symptoma observaretur. Similia vidit apud nos experientissimus Olbersius; qui, in multiplici ac vario morborum videndorum et curandorum usu, insignes copias collegit animaduersionum, quibus perpauci medentes laetantur. In huius viri filio optimae spei noster morbus hic aliquando symptomatibus, suffocationem minantibus ingrediebatur: inter quae puer jam paullo adultior summis precibus remedium sibi adhiberi contendebat: sanguinis missionem quidem, quae a multis parum expertis repudiatur veluti haud necessaria. Similiter vidi ante duos menses hunc morbum repente irruentem cum symptomatibus suffocationis et convulsionibus horrendis; ut adstantes vel eorum aspectu perterrerentur. Cuius morbi historiam in fine commentationis cum lectoribus communicabo, ad probandam utilitatem venaesectionis.

Morbus autem tali vehementia exorsus perdurat nonnunquam sine perspicua remissione: quod aliter est, ubi primi oppressionum pectoris impetus neque tam vehementes sunt neque tamdiu persistunt. In quo casu postero mane et interdiu remissio quaedam incidit; ita ut et parentes de puerorum suorum statu parum solliciti,

et ipsi medici quoque, siquidem huius mali atrocitatem ignorant atque vocem subraucam cum aliquantum obscuro tussis sonitu non curant, de hoste non cogitent; qui forsitan vespera aut nocte eiusdem diei auctis viribus redibit. In qua difficultate nisi protinus auxilium adhibetur, tertia vespera, aut nocte tanta vehementia aegrotum invadit, adeo ut deinde nulla scientia et arte quicquam valeamus.

His de vario morbi ingressu expositis: revertor ad progressum praenuntiatum symptomatibus; vulgaris catarrhi tussis autem sonum illum proprium induit; ita tamen ut subinde nihil a catarrho diversum audiamus. Cum his augentur respirationis angores.

Nunc vox magis magisque rauca fit; respiratio molestior, atque haec tria symptomata magni momenti sunt et iam uberius explicanda [k]).

Raucedo per totum morbi cursum durare solet; quae nonnunquam tanta est, ut sermo aegroti prorsus non intelligatur. In morbo vehementiori ipse hanc raucedinem aliquot hebdomadas solam permanentem vidi, nullo alio superstite morbi symptomate. Atque omnino loquelam impediri ex eo intelligi potest, quod infantes, ab initio morbi, parum et posthac nihil prorsus loquantur.

Alterum symptoma huius morbi eique proprium est tussis sonitus peculiaris; quem haud memini unquam abfuisse (quamvis Homius abesse adfirmat [l]), verumtamen hic sonitus non ita in tussientibus perpetuo auditur, ut pro signo diagnostico valeat; quemadmodum apud celeb. Wichmannum [m]). Raro hic sonitus ante

k) Peculiaris haec vocis in hoc morbo mutatio Fieldio (in Memoires of the medical Society, Vol. V. pag. 166.) et a Pinelio (in Medicine clinique, pag. 218. in nota) idonea sane appellatione (*Croup-sound*, et *Voix croupale,*) insignitur.

l) l. c. pag. 33.

m) pag. 113. in Ideen zur Diagnostik, 8. Hannov. 1797. II. Band.

raucedinem in tussi observatur, id quod etiam a Rumseio [n]) notatum legimus. Communiter initio morbi se prodit: quanquam interdum diu commorandum est medico apud puerum, ut audiatur. Attamen dum aegroto potus ministratur aut aliquis fletus exprimitur: illico tussis incitatur. Sed in adultiore morbo certe non est tam frequens, et in summo eius gradu haud raro plane cessat. Habet autem hic sonitus in tussientibus pueris proprium quiddam, quem, qui semel audiverit, semper recognoscet. Quoniam saepe fit, ut plures liberi eiusdem domus ac familiae deinceps hoc morbo corripiantur; parentes illo sonitu plerumque admonentur, altero aegrotante puero, tanto citius ut medici auxilium implorent. Nunc sonitum alii alio modo describere studuerunt; inprimis adhibendo similitudines: ut cum clangore gallinae raucae et coryzam illam habente quam Francogalli la Pepse, (nostri den Pips) nominant; aut, quod mihi aptius videtur, cum latratu canis rauci. Et vel fricatores vidi, (Linn. gallice doguin, germ. Mops,) vel parvos hispanicos catellos, utrosque illos ad raucedinem proclives, quorum tussis eundem illum sonitum emitteret. Aquilam Noruagiensem aliquando habui, cuius clangor illum sonum mirifice imitaretur. Angli ab hoc sono nomen duxerunt ipsius morbi. Etenim vox Anglica, Croup vel Roup, in primis ore pleno prolata quodammodo sonum huius tussis exprimit. Ille autem non semper, ut Wichmannus [o]) contendit, acutus est [p]); sed saepe, inprimis ab initio gravis, fuscus, querulus; et in progressu demum, glottide iam magis coarctata, acutior fit, simulque

n) Transactions of a Society for the Improvement of medical and chirurgical Knowledge, Vol. II. in germanicum idioma conversum in Neues Journal der ausländischen medicinisch-chirurgischen Literatur, von Hufeland und Harles, Vol. I. Sect. 1. pag. 149.

o) l. c. p. 111.

p) Discant-mäſsig, h. e. ea vocis elevatione, quam musices periti italice il Soprano nominare solent.

tam vehemens, ut etiam in vestibulo, et a conclavi remotior aegrotum tussientem audias. Recte igitur Cheynius [q]): „A hoarse, in„quit, deep, barking cough is not so alarming, as a shrilly cro„wing and stridulous one. The latter always characterises the se„cond stage."

Interdum haec tussis; sicut raucedo per aliquot tempus perdurare solet, dum reliqua gravia morbi signa evanescunt. Ipse aliquando illum sonitum in tussiendo usque ad tertium mensem observavi protractum. Similia vidit et testatus est in suis praelectionibus celeberr. Gregorius, Edinburgensis medicus, qui interdum perannos eum sonitum continuari audivit. Ceterum infantes qui semel hunc morbum passi sunt saepe post refrigerationem similiter tussiunt; quod provectiore demum aetate cessare solet. Quodsi quis meam sententiam de causa raucedinis et singularis in tussiendo soni requirat, breviter eam dabo. Est quidem partim ab arteria aspera partim, et omnium maxime, ab larynge repetenda. Etenim quum laryngis membrana pituitosa inflammari et tumescere incepit, aucta secretione glandularum eius pituitosarum ligamenta glottidis sub tussi non ita conquassantur, unde raucus et profundior sonitus evadit. Ut primum vero trachea et praecipue glottis magis coarctantur aucta inflammatione et exsudata lympha plastica, gravior est sonitus etsi aliquantum asper et oppressus.

Quamobrem non assentior Cheynio [r]), qui soli inflammationi hanc mutatam vocem tribuit. Praeterea quoque talis in tussiendo sonitus iis accidit, quibus aliena in trachea haerent. De qua re dicam postea. Similem sonum edebat puer cui tumor arteriam

q) l. c. Vol. II. pag. 80.

r) „The inflammatory affection of the larynx is doubtless sufficient to account for the „alteration which takes place in the sound of the voice and cough." l. c. Vol. II. pag. 22.

asperam premebat, quod Alexander Monro in praelectionibus suis saepius retulit. Equidem scio puerum octennem, vivum adhuc depresso in fine sterno, qui a teneris similiter tussit. Verumtamen posthac complures vidi eadem labe sterni affectos non ita tussire. Igitur dubito an non illa similitudo aliunde repetenda fuerit.

Quid vero? An peculiaris in tussiendo sonitus ab hebetatis nervis tracheae ex parte pendet? an raucedo quoque? — Erudite ad haec respondit Portalius [s]), qui vocis cum nervis laryngeis nexum per varia exempla docuit. Nimirum si hos nervos quodam stimulo incitabat sonum acutissimum (les sons les plus aigûs) animalia edebant. At si illos paululum premebat vox rauca fiebat. Nervis autem ligatis vel dissectis vox prorsus intercepta est. Eadem nervorum irritatione iis qui phthisi pulmonum laborant vocem immutari contendit, negans morbosam in pharynge vel larynge secretionem. Quod illa experimenta et variae morborum historiae quas addidit egregie demonstrant [t]).

Nunc quantum fieri potest de respiratione in hoc morbo loquar praecipuo illo tracheitidis signo, quod summam medici attentionem requirit.

Quodsi morbus a catarrho orditur, saepe illa tussis cum magna raucedine adest illaesa tamen spirandi facilitate. Tunc ex sola raucedine atque sonitu peculiari in tussiendo cognoscitur initium tracheitidis. Errant qui aliter sentiunt; et causam cur hoc nequeat esse, non perspicio. Sicut enim interdum in initio inflammationis ingentes nervorum turbae excitantur, etsi non intentior illa est; ita nonnunquam eius effectus in nervis seriores esse videntur. Perinde infantis respiratio brevis et anxia est, inprimis de nocte; mox autem

s) Histoire de l'académie royale des Sciences, an. 1780. p. 333.

t) Ibidem, pag. 330.

haec mitigantur nec puer aliter spirat quam sanus. Unde arbitror intelligi huius signi absentiae non confidendum esse. Quamobrem medici qui hunc morbum Croup appellare recusant donec respiratio operosa evaserit, aeque errant atque ii, qui in sola orthopnoea pneumoniam agnoscunt. Atque ut libere profitear quid sentiam, tota illa descriptio principii tracheitidis multum apud me habet ponderis. Neque dubito fore nonnullos qui si integre et accurate morbum observarunt, veritatem et me sequantur. Quodsi medicus ad hoc primum stadium advocatur idoneis remediis statim morbo succurere potest. Sin autem ipse vel adstantes id negligunt repente vel paullatim respiratio laeditur. Haec nimirum magna virium intentione perficitur. Nonnullis situ obliquo spiritus facilius ducitur, aliis erecto.

Igitur hanc corporis positionem non utique cum Darwino [u]) commendarem. Caeterum aegroti plerumque reclinato capite iacent et magna spirandi difficultas corpus aeque atque in tetano reclinari iubet. Ipse saepenumero respirationem aegrotorum procul audivi, et quando spiritum trahunt, stridulum sonum percepi. Contra quando exspirant veluti oppressa exhalatio, aspera et profunda (in Basso, dicunt Itali) interdum crepitans est. Verumtamen bis contrariam rationem observavi ita ut inspiratio profundior, exspiratio altior audiretur. Plerumque autem cum respiratio tum vero etiam inspiratio non admodum frequentes sunt. Hanc saepius in summo morbo ita tardam reperi ut crederes suffocationem minari, respiratione auribus non percipienda. Illi vero tardiores aëris haustus non continuo absoluuntur, sed per intervalla, anxia videlicet et frequente respiratione interrupti. In ea re cernitur etiam musculorum nasi et faciei,

u) In: Zoonomie, oder Gesetze des organischen Lebens aus dem Engl. übersetzt von Brandis. Hannov. 1797. Vol. II. Sect. I, pag. 63 et 357.

colli, pectoris, humerorum, ventris et diaphragmatis summa intentio. Larynx sursum deorsum trahitur, nares dilatantur; vultus mirifice mutatur. In utroque colli latere, supra claviculas alta fovea conspicitur humeros sursum trahendo et dirigendo thoracem protenus. Sed ubi morbus summum fastigium adscendit, pectus suis non movetur musculis, dum diaphragmate, quo omnis inspiratio perficitur, cartilagines costarum inferiorum et processus ensiformis sterni retrahuntur, ita ut hic spinam dorsi attingere videatur. Perinde musculi abdominis sub hac respiratione operosa vehementer agitantur.

Simul per hoc respirandi impedimentum circuitus sanguinis perturbatur. Inde arteriarum pulsus frequentes, parvi, duri, denique intermittentes fiunt. Cor inaequali rythmo et cum impetu palpitat. Venae in collo, rarius in capite intumescunt. Arteriae carotides fortiter pulsant. Facies quae plerisque in principio morbi rubebat, nunc pallida, livida, subfusca est, interdum sicut manus et pedes tumet. Praeterea oculi eminere et inter somnum sursum verti, caput copioso frigido viscidoque sudore madere solent. Tum infans qui summa debilitate adfici videtur, semper dormit. Neque ideo longo somno fruitur; sed magna anxietate et iactatione corporis expergiscitur saepe non nisi eo placandus, quod circumgestetur.

Cuius rei exemplum vidi in infante, qui per quatuor septimanas nisi circumferebatur, horrenda angoris signa ederet. Quodsi aetate provectiores sunt, e gremio matris exsiliunt anxiique circumaguntur. Ita ego ad puerum undecim annorum vocabar, paucis ante obitum horis, qui continuo angore per conclave agebatur, clamans de aëris defectu, et saepe capite parietem feriens. Tandem vero humi prostratus obiit.

Illius spirandi difficultatis duplex causa est, quarum altera quaerenda in spasmo arteriae asperae, varia ratione excitato.

Nam hic primum ipsa inflammatione produci posse videtur, quod demonstrat principium morbi saepe gravissimo suffocationis periculo notatum. Neque infitias eo, me non satis intelligere, quibus argumentis nonnulli negare velint tanti spasmi ortum ab inflammatione quam leviorem putaverint; praesertim cum nuperrimis Soemmeringii et Reisseiseni [w]) disquisitionibus abunde demonstratum sit, tracheam a pare octavo multos nervorum ramos sortiri. Equidem censeo, non solum laryngem, ut vulgo putant, sed etiam canalem arteriae asperae, maxime autem bronchias spasmo adfici; quarum minimos ramos, quos cultro detegere potuit, fibris carneis instructas esse vidit Reisseisenus [x]) vitro convexo. Nervos autem ita ostendere non potuit, ut qui arteriae bronchialis ramos comitentur atque membranam pituitosam tracheae adeant ratione haud conspicua. Denique cum nervi minores in morbi principio adfecti arterias laryngeas et tracheales comitentur, a sympathico magno proficiscentes, (qui Soemmeringio auctore, se cultro anatomico egregie offerunt), non potest dubitari quin hi et illi per consensum adficiantur. Quamobrem plures medici duo tracheitidis genera admodum diversa esse arbitrantur, nimirum spasmodicam et inflammatoriam. Ut vero hunc errorem penitus infringamus, observandum inprimis hoc est, quod iam monuerimus, nunc graviores nunc minores nervorum esse turbas, utrasque inflammationis stimulo tribuendas.

Deinde vero oritur in trachea ille spasmus lymphae plasticae collectione, cuius licet minor copia, uti corpora quaevis aliena, diras convulsiones arteriae asperae moveat, quod eo citius fieri possit, adiuncta quidem inflammatione. Altera et quidem gravissima spirandi

w) Sömmering et Reifseisen Preisschrift über die Structur, die Verrichtung und den Gebrauch der Lungen. Berlin 1808.

x) Ibidem, pag. 16.

difficultatis causa cernitur in nimia lymphae plasticae secretione, cuius si magna copia colligitur in larynge vel trachea, diversa ratione, quam postea commemorabo, aëri ad pulmones aditus praepeditur.

Nequeo tamen iis adsentiri, qui spirandi difficultatem illam ubique a mechanica causa derivandam esse censent. Sed vellem hoc a peritis in arte viris recte examinari. Cadavera dissecta meae sententiae favent. Atque gravissima experientia Dupuytrenii [y]) magnam nervorum esse vim in pulmones eorumque spirandi negotium testatur.

Verumtamen et difficilis respiratio et ipse morbus remitti videntur, quod repugnat opinioni celeberrimorum medicorum Ruyschii [z]) et Wichmanni [a]). Nullum enim scio morbum nostro similem, in quo aegrotus nunc morte proximus deprehendatur, nunc ab omni periculo liberetur.

Quamobrem miror hos doctissimos viros talem sententiam a summis olim medicis comprobatam [b]) negasse. Sed accuratius hoc

y) Expériences sur l'influence, que les nerfs du poumon exercent sur la résspiration: par Pinel et Halle, rapporteurs. Moniteur No. 204. 1807.

z) Medicinische Untersuchungen und Beobachtungen, aus dem Englischen, Leipz. 1792. pag. 190.

a) Ideen zur Diagnostik, Hannov. 1797. 2. B. pag. 112.

b) Praecipui sunt:

Simpson de asthmate infantum spasmodico, 8. Edinburg. 1761.

Salomon und Baek Abhandlungen der königl. Schwed. Akademie der Wissenschaften, 34. Band, p. 332.

Callisen acta Societ. medicae Hafniens. Vol. I. p. 79.

Sauer. citante Michaëlis de angina polyposa membranacea, p. 269.

Bard. in Richters chirurgischer Bibliothek, Vol. V. pag. 740. 741.

Vogel Handbuch der pract. Arzneywissenschaft, Vol. IV. p. 122.

Archer, l. c. pag. 21.

explicandum. Antea vero addendum, quod illa spirandi difficultas inter somnum augetur; tametsi opinor, hoc tantum ita videri, quia infantes e somno excitati melius spirare observantur.

Ab initio morbus, si catarrhalis est, qualis plerisque accidit, sub vespera et nocte augeri solet, matutino tempore autem et interdiu remitti. Tum vero ubi progreditur morbus his exacerbationibus aliae accedunt, quae respirationis difficultatem nunc augeant nunc imminuant. Quae mutatio tanta est, ut infans maxima dyspnoea paullo ante correptus, alia hora puerilibus ludis delectetur. Itaque in hoc morbo magis quam in ullo alio cavendum est medico, ne fausta praedicat, benigniori larva deceptus. Nunc enim aegroti ex improviso moriuntur, nunc, quam vix speraveris, valetudinem recuperant. Quibus repente oritur morbus, iis nonnunquam licet sat raro, aut sponte aut adhibitis remediis iustis, manifesto mitigatur; ita ut vix perspicere possemus, quo tandem modo suffocationis periculum imminere potuerit, nisi propinquorum de insultu relatio, nam ipsi plerumque non vidimus, et tussis sonitus cum raucedine rem testarentur. Ego aliquoties reliqua signa morbi non tanto impetu redire vidi; etsi respiratio vicissim sana et operosa erat. Aliis vero, qui a primo morbi initio incertis horis nunc facilius nunc difficilius spirant, certo tempore post meridiem aut sub vespera et per integram noctem morbus increscere solet, quod ipse vidi infanti

Alexander, l. c. pag. 15.

Gutfeld Bemerkungen über die häutige Bräune, in Neues Archiv für medicinische Erfahrungen, herausgeg. von Horn. Vol. II. Sect. 2. p. 80.

Des Essartz mémoire sur le Croup, p. 25.

Autenrieth, l. c. pag. 22 et 25.

Double l. c. p. 23.

Pinel médécine clinique, p. 217. 221.

Bernard, Brewer, de Laroche, Rechou. (Vid. Recueil des observ. sur le Croup, p. 45.)

accidere quarta quaque hora vespertina. Repeto hic, quod dixi paullo ante, esse nonnullos qui signa spasmodicae affectionis in summo gradu tracheitidis obvia, atque vicissitudinem spirandi difficultatis sibi explicare nequeant, negantes inflammationi haec tribui posse. Igitur censent non omnino inflammatoriam aut membranaceam illam anginam esse, sed spasmodicam [c]). Sed uti haec facile explicantur ita noster ad nervorum morbos iure non refertur, inflammatoriis potius accensendus. Cuius generis plures sunt, qui manifesto remittuntur et exacerbantur. Neque aliter pneumonia, quae nostro morbo admodum affinis, in primo stadio mere inflammatoria est, sub vespera et nocte increscit.

Progrediente autem morbo, si lymphae coagulabilis aut puris magna copia secernitur, interdiu quoque morbi vicissitudines inveniri constat. An vero unquam dubitatum est de inflammatoria pneumoniae natura?

Nunc postquam satis est, opinor, de spirandi difficultate et vicissitudine morbi expositum; reliquum est ut alia morbi symptomata persequamur. Primum videamus de febre quae, si localis illa inflammatio synochae characterem fert, nunquam ut ego scio deest, ideoque huic morbo solennis est. Quodsi morbus a catarrhi signis exorditur, febris praecedere solet, cuius indoles a tracheitide citius tardiusve accedente pendet. Sin repente morbus intrat, utraque et febris et tracheitis simul excitatur. In nonnullis vehemens febris est manifesto synochae naturam prae se ferens. Quare summus calor, copiosi nonnunquam sudores et sitis magna deprehenduntur. Facies tumida laete rubet, pulsus celer et frequens, plerumque parvus et durus, rarissime plenus est.

c) Harles neues Journal der ausländischen medicinisch-chirurgischen Literatur. 1. Band. pag. 215.

Hic mihi commemoranda sunt duo symptomata rarius observata, si morbus astheniae s. typhi naturam prae se fert. Quorum alterum est dolor fixus laryngis, qui aegrotos cogit, ut manum collo admoveant. Hunc dolorem Ghisius d) in suis aegrotis manifesto observavit. Adultiores magnopere de eo conqueruntur. Quod etiam accidit iam commemorato filio experientiss. Olbersii, cui dolor sub attactu augebatur. Perinde matrona, de qua inferius dicam, graviter affecta morbo scarlatinoso cum tracheitide, acutum dolorem in larynge persensit. Deerat autem faucium inflammatio quae illum comitari solet.

Francogallorum medici nonnulli, ut Bernardus, Laudunus, Brewerius e), Larochius, Duboueius et Dureilius diligenter illud symptoma observarunt. Et miror hoc in dubium vocari a clarissimo Rechovio f), qui contrectationem colli de qua locutus sum, aliter explicare studuit, inquiens: „c'est mal-aise, qui resulte de la diffi„culté de respirer et non de la douleur.“ Ceterum non opinemur infantes dolores nullos persentire, quia non queruntur. Constat enim vel graviter aegrotos infantes, qui v. c. pneumonia affecti sunt, aut negare dolorem, rogatos, aut abdomen vel caput digito monstrare, quum tamen in pectore sedes sit morbi. Alterum symptoma est vomitus, qui vero mox cessat, etsi ab initio morbi saepe vehemens est. —

Sed ut redeam, unde digressus sum, nonnunquam febris illa synocha levissima est, atque vel cessat brevi tempore vel protenus in typhosam abit. Unde nonnulli argumentum petierunt quo

d) Dolor quasi sempre indicato circa la larynge, Ghisi Lettre mediche, In Cremona 1749. pag. 9.

e) Recueil des observations etc. pag. 18. 19.

f) In Recueil des observations etc. pag. 7.

inflammatoriam morbi naturam negarent. Quae concludendi ratio non valet. Primum enim medici tum demum ad hos aegrotos vocari solent, quum aut obscurior est synochae natura aut in typhosam mutata. Deinde certum est inflammationem semper eandem vim habere. Denique, quod caput rei est, inflammatam videmus membranam pituitosam, dum nulla aut exigua synocha observatur.

Interdum a principio morbi febris typhosa eum comitatur. Idque inprimis locum habet si tracheitis debiliores infantes aggreditur, vel si alium morbum insequitur, quo corporis robur iam fractum est, v. c. tussin convulsivam, morbillos etc. vel denique si exanthematicis morbis adiungitur, ut scarlatinae malignae. Tunc synochae signa illa aut prorsus desunt aut leuiora deprehenduntur. Neque spasmi adsunt graviores. Dolor in larynge modicus, sitis exigua, sudor aut nullus est aut singulas tantum partes, faciem, collum, pectus corripit; ceterum frigidus et viscidus, rarissime calidus est. Febris omnino typhosa reperitur, interdum vix conspicua. Mors, quae sine dolore accedere solet, non spasmo tracheae tribuenda esse videtur, sed adduci potius collecta lympha plastica; quam et copia sua et indole vitae infestam, saepenumero aqua fere tenuiorem animadvertimus. Sed iam aptissimus locus videtur illustrandi rem, de qua multum est disputatum; nimirum an dentur signa certa collectae lymphae coagulabilis et materiae fibrosae (quam polypum alii vocant [g]), quibus inflammatorium stadium in illud abiisse significetur, quod a puris secretione nomen habet [h]).

Quod si quis meam de hac re sententiam requirat, eam declaro, uti iam declaravi: nimirum illius secretionis initium nescio [i]), quia

g) Michaelis practische Bibliothek, Gotting. 1785. Vol. I. Sect. I. pag. 100.

h) Home, l. c. pag. 47.

i) Quodsi quis contendat, me haec per opinionem dixisse, vehementer errat. Nam eiusdem

repente fit et multis fere cum ipsa inflammatione supervenire videtur. Magnam vero lymphae copiam collectam esse testantur certiora signa. Huc pertinet respiratio illa peculiaris, quae paulatim molestior fit, etsi non perpetuo continuata. Qui spirandi modus interdum sonitu crepitante et stridulo insignitur ita ut sub exspirando singularis strepitus percipiatur, ac si operculo trachea claudatur. Id, quod Cheynius [k]) optime descripsit his verbis: „The exspiration is performed „as if the tube were shut up by a valve, and this forced back „with a flap when the air returns from the lungs.“ Veruntamen valde dubito, hoc a lympha coagulabili sic formata pendere. Sed ulterius id persequar in capite eo, quod de cadaverum sectionibus est scriptum. Idem sonitus crepitans sub tussi percipitur, quae particulas illius lymphae eiicit.

Homius et Michaelis his duo addunt signa, quae neque comprobare experientia neque reiicere argumentis possum. Ille quidem contendit [l]), urinam, limpidam in morbi stadio inflammatorio, postea in purulento quale vocat, sedimentum turbidum et quasi purulentum habere. Ego vero saepius in principio morbi inprimis a catarrho orti, talem urinam a Pinelio [m]) „laiteuse“ vocatam vidi, et limpidam in summo morbo. Atque Schwilguéius qui urinas chemice exploravit, negat inesse iis per tracheitidem missis sedimentum puriforme aut lymphaticum; sed similes potius esse urinis cri-

rei exemplum offert angina, quam vocant serosam; ubi haud raro cum ipsae inflammationis principio, lympha coagulabilis et fibrosa pars sanguinis secernitur, praecipue in iis, qui hoc morbo saepius adficiebantur. Cuius secretionis vestigia sunt maculae albae vel cinereae, velo palatino atque tonsillis adhaerentes.

k) Cheyne, l. c. pag. 53.

l) Home, l. c. pag. 47. 48.

m) Médécine clinique, pag. 72.

ticis [n]) Unde intelligitur Homii sententiam non admodum certam esse. Michaelis [o]) tracheam tanto torpore affici existimat, ut neque aceti vapore nec fumo capsici excitetur.

Non omnes eadem ratione ab hoc morbo enecantur. Nonnulli enim vario modo convulsi inter summam anxietudinem et stertorem cum magna spirandi difficultate, periunt. Aliis aëris haustus quietior est, tussi quidem et anhelitu cessantibus; et placida morte exstinguuntur, lucernae in modum oleo carentis, ut Reilii verbis utar, neque in ultimo vitae momento mentis impotes. Sunt vero etiam, qui repente suffocatione interimuntur, etsi iam iam sani videantur. Semper recordor puellulae, quae ineunte tertio morbi die convalescere visa, post meridiem, dum sedens in gremio matris ludebat, vehementi angore corripiebatur. Tumescente lividaque facie exsiliebat, et extincta cadebat, pomum quo oblectabatur, manu tenens. Maxime perterritus eius fratrem qui animam agit, paullo post eodem morbo necatum dolui.

Igitur varia mors in hoc morbo obvia, cuius quatuor nunc commemorabo rationes. Primum deprehenditur, si secreta lympha coagulabilis et materia fibrosa ita tracheam coarctant, ut aëris transitu impedito suffocatio oriatur. Lympha autem illa saepenumero aquosa est. Alii suffocatione quidem moriuntur sed repetenda a spasmo nervorum tracheae, qui forsan etiam reliqua respirandi organa corripit. Tum vero non solum nervi arteriarum, qui iam affecti sunt a principio morbi, sed etiam nervi ipsius laryngis, thoracis, colli et abdominis graviter aegrotant. Unde arbitror satis intelligi, cur tot medici illo morbi stadio ad aegrotum advocati, ipsi nervosis accensito morbis, antispasmodica opposuerint medicamina. Neque id dubium

n) Schwilgué dissertation etc. pag. 31.

o) Medicinisch-praktische Bibliothek. Vol. I. Sect. 1. p. 100.

facio, multos salutem debere asae foetidae, moscho aliisque eiusmodi medicamentis illo tempore adhibitis. Sunt etiam qui apoplexia enecantur, quum impedita respiratione sanguinis copia in capite augetur. Novi etiam infantem, qui, etsi recte spirabat, apoplexiam patiebatur, superorto cerebri hydrope conciliatam.

Denique nonnullis debilitate mors adducitur, per oxygenii quidem in sanguine defectum.

Qui opinantur morbum lethalem fieri vel per tumorem membranae pituitosae, quae in trachea est, ortum ab inflammatione, vel febris impetu, vel accedente pneumonia, errant, neque iis assentior. Certe exempla me fugiunt, quibus id probetur.

Quodsi meliora contingunt, aegroti ita ad sanitatem revertuntur, ut pacata inflammationis vehementia, lympha plastica desinat secerni. Collecta vero aut eiicitur, aut absorbetur, aut tracheae illinitur. Quod ad eiectionem lymphae pertinet; vidi quidem infantes aut tussiendo aut vomendo particulas eius edere, atque inde non parum levari; sed non frequenter hoc contingit, nec raro lympha ab infantibus deglutitur, licet soluta est. Tum etiam saepe diligenter ea collegi; quae eiecta erant; sed nunquam tantam eius copiam, ut inde salutem restitutam deducere auderem. Quanquam lubenter concedo huic rei aliquid tribuendum esse, in quo etiam plurimi medici conveniant.

Verumtamen multos, imo plurimos infantes vidi convalescere qui nihil eiicerent. In qua re Soemmeringius et Olbersius, viri experientissimi, mecum consentiunt. Idem Schwilgéii verba testantur: „l'expectoration de lambeaux membraniformes n'est point aussi fré„quente, qu'on le croit: car, sur quarante observations que j'ai „rassemblées au hazard, je n'ai trouvé que neuf malades, qui en

„ont expectorée [p]).“ Contra infantem scio qui periit, etsi multa eiecisset. Facta autem dissectione, invenimus tracheam lymphae plasticae plenam. Nimirum secreti humoris fons non erat suppressus. Ex his arbitror intelligi sputis hic perparum esse tribuendum.

Equidem valde dubito de eiectis concretionibus polyposis, quae a nonnullis scriptoribus formam tracheae eiusque ramorum habuisse dicuntur [q]); quales ipse nunquam vidi. Neque mihi persuadere possum, vera medicum quendam de puella effatum esse, quae maiores partes eiusmodi membranae, solutas et promotas tussiendo in fauces, et vomitu et digitis expediverit [r]). Nec probabilius videtur quod referunt infantem quendam membranam vomuisse aequantem volumine manum [s]), aut quatuor pollices [t]). Multa quidem exempla talium aegrorum Murrayus collegit [u]), quorum nullus tracheitide laborasse videtur; et quibus Bussieri [w]) etiam historiam de puero accensuerim, phthisin trachealem perferente, quem morbum cum particularum membranacearum eiectione saepe coniunctum esse scimus [x]). Perinde Ienae vidi foeminam, cuius sputa ramulis vasorum sanguinem vehentium simillima erant. Igitur non miror veterum opinionem, quibus talia sputa non aliud quam

p) Recueil des observations etc. p 32.

q) Ghisi, l c. pag. 10 11 Starr philosophical transactions, n. 495. pag. 474. Bergen, in Acta Naturae curios. Tom. II. pag 157.

r) Wahlbohm, in Michaelis de angina polyposa, pag. 271.

s) Fielitz in Richters chirurg. Bibliothek, Vol. VIII. pag. 532.

t) Rechou, in Journal général de Médécine, par Sedillot, Tom XXII. p. 15.

u) Opusculor. Vol. I. pag 274. et Nov. Comment Goetting. Vol. IV. pag. 55.

w) A lettre from Mr. Bussiére F. R. concerning a substance etc. Dn. Bussiére epistola de substantia vas aliquod pulmonale referente, tussi reiecta. Act. Eruditor. 1701. p. 231. 33.

x) Portal in Mémoires de l'Académie royale de sciences année 1780. p. 320. Richerand nosographie chirurgicale, Tom. III. p. 126 et plures alii.

pulmonum vasa sanguifera esse videbantur. Hunc errorem Suéius [y]), Portalius [z]) aliique egregie refutarunt.

Quod vero alii dicunt illam membranam per intestina educi posse et laxantibus remediis feliciter eliminari ideoque haec laudem mereri, id prorsus non attingo. Nam ego certe nescio qua via et ratione membranulae ex arteria aspera ad intestina pervenire possint. Sed de his erroribus non dicam amplius.

Est alia etiam via, quam natura ingreditur ad tollendum morbum, adhuc a nemine, quantum equidem scio, descripta. Nimirum concrescit lympha plastica cum membrana interna tracheae ita ut haec quasi novam membranam accipiat, certe eo loco, in quo inflammatio et lymphae secretio haerent. Plurimos ita sanari arbitratur excell. Soemmeringius, nonnullis etiam in Museo eius pathologico obviis, quae hoc testantur. Haec cohaerentia perficitur aeque atque in aliis inflammationibus v. c. durae matris, pericardii, pleurae, peritonaei, quibus non raram esse scimus. Eaque interdum cito instituitur, quod nuper vidi, quum vir experientiss. Mohrius, medicus primarius in exercitu regis Batavorum, aethiopem hepatitide enecatum dissecabat; in quo magna pars hepatis diaphragmati ita adhaerebat, ut non sine violentia separari posset, etsi homo tantum per quatuordecim dies aegrotaverat.

Sed nolo hic diutius immorari, quippe quae iam satis exposuerim. Verosimile est, sanationem saepe triplici ratione illa contingere. Itaque si lympha secernitur tenuior, quae concrescere nequit, ab eiectione aut resorptione, sin firmior, a concretione salus exspectari potest.

y) Mémoires de l'Acad. royale de chirurg. Vol. XIV. pag. 449.

z) Mémoires de l'Acad. royale des sciences, année 1780. pag. 321.

Expeditior respiratio ad gravissima signa salutis rediturae pertinet. Reliquis non admodum confidendum est. Atque illud saepe cum tanta celeritate contingit ut solummodo a cessante morbo arteriarum laryngis et tracheae vel a mitigato spasmo et nervorum has arterias comitantium et eorum qui a vago orti ad laryngem atque tracheam ipsas pertinent, derivari possit. Tunc autem aëris transitus mechanica ratione non impeditus fuisse videtur. Quodsi hoc evenit valetudo pristina tardius, interdum quatuor septimanis demum post, redit. Sed rarius hoc est, et semel tantum a me observatum. Medicus dubius inter spem metumque hic fluctuat, quia fere per singulas horas spirandi ratio ita mutatur, ut certa praedicere nequeat. Tandem vero salus recuperatur etsi mala res, spes multo deterior erat. Singularis ille sonitus in tussiendo paulatim evanescit, crepitans redditur et stridulus, qualis in catarrho esse solet.

Sed interdum tussis eadem ratio est, quae in principio morbi erat; est nimirum catarrhali similis, intercurrente peculiari illa, cuius sonitum supra descripsimus. Quodsi infantes a summo morbo, ubi evanuerat tussis, ad sanitatem reducuntur, id non aliter fieri expertus sum, quam redeunte tussi. Quo frequentior haec, eo certior spes salutis est. Si morbus cum gravi febre coniunctus est, sudor calidus et criticus, qui dici solet, mitigata ipsa febre, salutem affert. Rushius [a]) et Autenriethius exanthema criticum observasse opinantur; quod ipse nunquam vidi, et Borrovius [b]) quoque fortuitum esse testatur.

Ego morbum in phthisin vel asthma chronicum transiisse non vidi, neque magnam virium debilitatem per longum tempus super-

a) l. c. pag. 194.

b) l. c. pag. 12.

stitem. Viderunt alii aliud, neque negabo hanc debilitatem post tantum morbum et debilitantem medendi methodum haud exiguam fore.

Quodsi aegrotis aut nullum aut tardius vel ineptum auxilium fertur, citius seriusve moriuntur. Celeberrimus Anglorum medicus Simesius [c]) vidit infantes intra spatium quatuor vel quinque horarum tracheitide enecari. Ego quidem hoc non observavi, sed mortem primo vel secundo die afferri expertus sum; quantum multi alii etiam, inter Americanos et Anglos Bayleyius [d]) et Alexander [e]) testantur. Quorum tamen testimonio non magna fides habenda sit, quia morbi principium fortasse neglexerant. Nam, quod supra monui, tracheitis infantum nonnunquam triduum iam est emensa, priusquam gravior illa spirandi difficultas accedit. Plerique aegroti intra octiduum moriuntur, raro post quatuordecim dies. Quam ob rem errare mihi videntur Cheynius [f]) et Vieusseusius [g]) referentes nostrum morbum inter chronicos. Neque exempla, quibus stabilire suam opinionem student, huc aliquid faciunt. Sic v. c. infans de quo in observatione quinta Vieusseusii agitur, non tracheitide adficiebatur, sed spastica spirandi difficultate, quam praeter inspirationem sibilantem aëris, fere nulla signa tracheitidis comitabantur.

Quodsi morbus recte curatur, paucis diebus et si levior est, biduo finiri solet. Sed interdum, uti iam monui, intra octiduum imo mensem perfecte sanatur, etsi recta et sollicita cura adhibita erat.

c) Bemerkungen über epidemische Krankheiten, aus dem Englischen von Möller, Hamburg 1775. pag. 34.

d) Cases of the angina trachealis, in a letter to William Hunter, New-York 1781. p. 5.

e) l. c. pag. 22. 30. 33.

f) In Vol. I. pag. 17.

g) In Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Ärzte XXIV. Band, 1. St. pag. 166.

Ceterum dolendum, tantum morbum nonnunquam reverti; quod testatur etiam praeter Burtonium [h]) experientiss. Olbersius, qui illum et filio suo, et aliis infantibus ter quaterque imo aliquando novies redire viderit. Ipse filiae meae bis et puero cuidam quater hoc accidisse dolui, utrique autem iuvante Deo restitutis.

Praeterea Alexander [i]) infantem hoc morbo correptum ter sanavit. Errat igitur Autenriethius [k]) dum contendit, eos infantes qui semel tracheitidem graviorem passi essent, nunquam in eundem morbum recidere. Redit autem tracheitis incerto tempore, ita ut interdum iam post paucas hebdomades recidat. Sic nuper Olbersius puerum, posteriores morbi, impetus, qui ter rediisset, intra sesquimensem experiri vidit. Idem aliud refert exemplum, quod memoratu dignum est. Nimirum infanti, vix a tracheitide liberato, novo et maiori cum impetu morbus recidit. Dolores laryngis acutissimi erant, et vox rauca vix auribus percipiebatur. Nihilominus tamen restituebatur exhibendo emeticum et hirudines, imponendo sinapismos suris, kermete minerali et moscho posthac suppeditatis.

Sed plerumque redit morbus elapso uno pluribusve imo sex annis et quod excurrit. Qui primum morbi impetum reliquis semper fortiorem esse arbitrantur, vehementer errant, et refutantur experientia. Ipse puerum curabam, ter tracheitide correptum, cuius duo priores quidem impetus idem erant, tertius levior. Neque tamen hoc semper locum habet. Nam mecum Cheynius [l]) etiam puerum vidit, cuius morbus recidivus multo gravior erat. Commemorat quoque

h) Vid. Burton medical and physical Journal 1800 month April, in versione germanica pag. 302.

i) l. c. p. 17.

k) l. c. p. 31. 32.

l) l. c. p. 33.

Borrovius [m]) infantem repetito tracheitidis accessu necatum, quod in meis aegrotis non observatum.

Non raro accidit, ut plures infantes unius familiae simul tracheitide afficiantur. Quod ipse in hac urbe quater observavi, tametsi semper duos tantum eiusdem familiae curabam. Olbersius quatuor infantes eiusdem domi hoc morbo correptos vidit, quorum unus septies eum expertus, absente illo, meae curae postremo tradebatur. Idem testatur Cheynius [o]). Et in America hoc frequentissime locum habere Archerus [p]) observavit. Perinde Gregorius commemorat in praelectionibus suis familiam, cuius filii omnes tracheitidem passi. Sic Des Essartesius [q]) tres infantes unius familiae hoc morbo necari vidit. Denique Rumseius [r]) simile exemplum narrat trium fratrum, quorum duos intra tres septimanas perdidit, tertium restituit.

Iam his expositis, transeo ad ea, quae prognosin sive praedictionem de hoc morbo attinent. Est quidem tracheitis gravissimis morbis adnumeranda, neque sine vitae periculo medici caret auxilio; tametsi non omnino adsentior Chalmersio [s]) qui necessario lethalem fieri contendit sibi ipsi relictam. Certa autem praedictu difficillima sunt aut potius praedici nequeunt. Et repeto quod supra admonui, esse nonnullos qui repente moriantur, etsi non multa timenda nobis

m) l. c. Vol. I. p. 18.

n) Fürstenau, de ang. membr. pag. 4. Field, l. c. Tom. V. p. 196.

o) l. c. Vol. I. p. 31.

p) „it seldom affects one child in a family without appearing at some after period, in at „least some of the children, of the same common parents.“ l. c. pag. 14.

q) l. c. pag. 11.

r) l. c. pag. 166.

s) l. c. pag. 73.

viderentur, aut periculum cum impetu morbi imminui. Alios contra restitui quos illico decessuros esse credebam.

Perniciosior est tracheitis infantibus, qui laxum et quasi spongiosum corpus habent [b]) proni ad morbos tunicae pituitosae. Latet enim sub herbis serpens; et dum catarrhi speciem prae se fert, serius cognoscitur si res acta est.

Quod eo magis timendum est, quo copiosior lympha plastica secernitur. Sunt contra, ut antea admonui, in robustis et obesis infantibus interdum in principio morbi graviora signa, quae per nervorum turbas repentinam mortem minantur. Sed ego scio tales aegrotos si modo ineunte morbo advocamur, cito et feliciter sanari, in artis salutaris laudes.

Magni aestimant nonnulli si morbus manifesto et remittitur et intermittitur, unde felicem exitum praesagiunt. De intermissione Alexander [c]) est audiendus. Sed ego veras intermissiones adesse non credo. Remissionibus autem non semper confidendum esse scio. Nam ab initio morbi, si accuratius attendimus, plerumque remissiones plus vel minus manifestas conspiciemus; at nullum levamen inde adducitur. Postea vero si progressus est morbus rariores et obscuriores illae fiunt, simul autem graviores, indicando pacatam inflammationem et imminutam vim spasmorum, qui arteriam asperam tenebant et mutatam naturam materiae effusae vel secretae.

Poteris eo meliora sperare quo citius ad aegrotum advocaris; si serius vel biduo praeterlapso, incerta praedictio erit. Errant vero qui contendunt morbum absolute mortiferum esse, si iam adolevit vel in ultima periodo versatur. Sed experientia docet hoc ex opinione positum esse. Vidimus enim infantes sanari tametsi omnem spem

b) Rechou, l. c. pag. 4.

c) l. c. pag. 19.

deposueramus. Quod interdum tanta celeritate accidit ut recte et sufficienter rem explicare non audeam. Igitur tam vere quam erudite ait Yelloleyus [d]): „Levamen aliquando subministratur, nulla caussa evidente; at semper incertum et caducum est.“

Sed quoniam respirationis ratione ipse morbi impetus cernitur, medicus illam probe observet. Infaustum signum est, si respiratio cum magna virium contentione fit, qualem ante descripsi, et propter raucedinem sermo infantis percipi non potest.

Nec minus periculum instat, si exigua tussis est aut plane nulla, si facies et labia pallida aut livida sunt, si pulsus arteriae intermittit aut ita exilis est, ut sentiri nequeat. Denique si perpetua anxietate infans tenetur, quam quidem statu saepe mutando amovere studet, tametsi plerumque solummodo reclinatus, sub *ὀπισθοτόνῳ* spiritum trahere possit.

Sunt vero etiam signa rediturae salutis. Huc refero respirationem leviorem, etsi per exigua tantum temporis intervalla haec contingit; deinde reditum tussis coniunctae cum sonitu peculiari stridulo, qui non potest describi, et eiectionem particularum materiae in trachea secretae; denique aequalem et maiorem pulsum. Talia faustum sperari iubent morbi exitum.

De febre non multa proferam, quia ego hanc in tracheitide non tanti facio ut alii. Sola febris nunquam mortem arcesset. Ceterum a principio morbi febris synocha meliora promittit, quam typhosa. Inde enim ipsius morbi natura pendere videtur.

Quibus in febre, quae synocha est, ab emeticis sanguinis missionibus aliisque remediiis, inter quae deinde camphoram et kermes minerale laudabo, per universum corpus sudor et turgor vitalis succedunt, ii sanantur. Nam in eo cernitur gravissimum salutis sperandae signum.

d) In dissert. de Cynanche tracheali, 8. Edinb. 1796. pag. 38.

Contra mortem auguramur si morbus procedens typhosam febrem sibi adiunxerit. Neque enim diu natura resistere potest tantis malis, qualia ex impedita respiratione proveniunt.

Quodsi tracheitidi alii morbi inprimis exanthemata superveniunt, gravior est et periculosior quam sola. Periculosa admodum variolis, levis scarlatinae, levior morbillis, levissima variolis vaccineis et febri urticatae subiungitur. Quae cum duobus posterioribus morbis ratio ipsi intercedat, hanc dubiam mittimus utpote non satis adhuc observatam.

§. I.

Origine et fréquence du Croup.

De ortu ac frequentia tracheitidis infantum.

1.

Dans les Déscriptions qui nous ont été transmises par les anciens et par les auteurs antérieurs au siècle dernier, en est-il qui présentent les symptômes caractéristiques du Croup?

Num inveniantur forte inter scriptores veteres atque seculo praeterlapso priores, qui pathognomica morbi isto nomine appellati signa accurate descripserint?

Quae quidem quaestio nobis affirmanda esse videtur, quia exstant multae descriptiones tracheitidis adultorum (infantes enim minus observabant), quam nonnulli cynanchen veram vel cynanchen laryngeam, Boerhavius anginam inflammatoriam et alii aliter appellabant. Quarum tamen descriptionum nulla omnino sufficit, ut quae non omnia signa sed singula tantum exhibeant. Caeterum non valde mirum est morbi nostri naturam diu medicos latuisse. Haec enim similis quibusdam nervorum convulsionibus, optime cernitur per cadaverum dissectiones, quales olim interdictae erant. Postremo dignoscendae eius difficultas maxima a morbis nascitur, quibuscum coniuncta incedit, praecipue exanthematibus.

Quae sententia mea de vetustate tracheitidis ut in clariorem lucem producatur, uno alterove exemplo eam illustrabo. Copiosa autem oratione haec res profecto non eget.

Hippocrates, qui tracheitidem ad anginas refert, „anginae, ait „gravissimae quidem sunt et celerrime interimunt, quaecunque ne„que in faucibus neque in collo quidquam morbosi conspicuum fa„ciant: plurimum vero dolorem exhibent, et erecta cervice spirandi „necessitatem. Hae namque et primo et secundo, tertio et quarto die strangulant“ [a]). Et alio loco: „Anginae, quae neque in collo, „neque in faucibus quidquam conspicuum faciunt, veram suffocatio„nem vehementem ac spirandi difficultatem inducunt, eadem die et tertio accedunt“ [b]).

Nicolaus Piso describens hanc anginae speciem: „Tum profecto, „ait, oculi vertuntur et rubent, et veluti his, qui strangulantur, pro„minent. Vox impedita nihil significat, et qualis catulorum est, te„nuis editur; os apertum hiat, ex eoque spumans saliva movetur, lingua exseritur, crebraque, ut in anhelis propter laboris impetum equis, agitatur“ [c]).

Fernelius, qui in pathologicum Hippocratis [d]) locum antea citatum commentatus est: „Hoc, inquit, saepe vidimus, aegrotum sub„latum horis octodecim, constante mente integrisque sensibus.“

Non praeterire possum silentio quam gravem Ballonius ediderit [e]) sententiam: „Aegroti quatuor mihi noti, qui eodem fere

a) Prognosticon, cap. XV. Vid. Hippocratis Opera genuina: recensuit et praefatus est Albertus Haller, tom. I. pag. 188.

b) Coacae praenotiones, cap. XIV. Ibid. tom. II. pag. 173.

c) De cognoscendis et curandis corporis morbis, Lugd. Bat. 1736. Lib. II. p. 135.

d) Ioh. Fernelii universa medicina, Genev. 1669. fol. pag. 451.

e) Epidemiorum et ephemeridum, 4. Venet. 1734. Lib. II. pag. 130.

„tempore interiere, pene modo consimili. Omnibus medicis nego-
„tium dedit: imo ausim asserere, morbum non intellexisse. Diffi-
„cultas erat spirandi summa, spiritus frequens et parvus ad mor-
„tem usque. In sicco velut spirare videbantur: nec tussis nec spu-
„tum; spiritum ne ad momentum cohibere poterant. Erecto paul-
„lum corpore ita parvum et frequens spirabant. Febris non erat
„magna, nec quae istam respirationem requireret, etc.“ Et alio loco dicit [f]): „Chirurgus affirmavit, se secuisse cadaver pueri, ista
„difficili spiratione et morbo (ut dixi) incognito sublati. Inventa
„est pituita lenta, contumax, quae instar membranae cuiusdam arte-
„riae asperae erat obtenta, ut non esset liber exitus et introitus
„spiritui externo. Sic suffocatio repentina.“

Narrat Fabricius Hildanus [g]) exemplum periculosi catarrhi suffocantis, sic enim morbum appellat, quem ego tracheitidem infantum fuisse existimo. „Domini, inquit, Iohannis Rudolphi ab Er-
„lach, genere, doctrina, virtute atque eruditione vere nobilissimi
„viri, et pro tempore Praefecti Meldungensis prudentissimi filius
„nunquam scabiei in capite aut circa emunctoria obnoxius fuerat.
„Robustus tamen, vividus et obesus erat, sed anhelitum aliquomodo
„difficulter trahebat: quod parentes ad obesitatem et constitutio-
„nem phlegmaticam corporis referebant. Circa 13. Iuly Anno 1608.
„catarrhus copiosior in fauces et circa asperam arteriam defluere
„incipiebat. Interim etsi appetitus minime prostratus, et actiones corporis exercitiaque puerilia probe exerceret, difficultas tamen re-
„spirandi ita aucta fuit, catarrhusque tam copiose ad fauces decum-
„bere coepit, ut 14. Iuly circa vesperam stertor aliquis circa fauces

f) Ibid. pag. 132.

g) In operibus quae exstant omnibus. Observatt. chirurg. Centur. III. Observ. X. pag. 192. Francof. ad Moen. 1646. fol.

„asperamque arteriam perciperetur. Coenavit tamen pro more: sed „quia difficultas spirandi et stertor singulis momentis augebantur, „eadem nocte nobilis iste Vir ad me misit, auxiliumque petiit; rem „tamen adeo periculosam esse, minime putans. Interim autem dum „nuncius Lucentiis Paterniacum ad me perveniret, medicamenta a me „acciperet, domumque rediret, catarrhus tam copiose ad asperam „arteriam defluebat, ut singulis momentis suffocationis metus ades„set, et medicamentis, quae miseram, uti non posset. Confestim „itaque ad me remisit Nobilis, et petiit, ut ea, qua fieri posset, „diligentia ipsum adirem. Sed antequam Lucentias pervenirem, puer „iam maximis cum doloribus et cruciatu suffocatus fuerat, decima „quinta nimirum Iuly, et eadem die, qua secundum aetatis annum „absolverat.“

Huc etiam pertinet locus quidam e Riverii scriptis [h]). Sed nescio an ipse hoc expertus vel mutuatum illud sit, ab Hippocrate et Dodonaeo. „In Cynanche, inquit, maxima est respirationis laesio, ita „ut aegri strangulari videantur, et paucis etiam horis strangulentur: „ac non nisi erecta cervice et aperto ore spirare valeant.“

Ettmüllerus [i]) videtur morbum nostrum cum catarrho quem suffocativum nominat commutasse. Nam dicit: „Pertinere huc videtur „infantum quorundam plus minusve robustorum catarrhus suffocativus „cum epilepsiae metu iunctus, dum v. gr. simpliciter creberrima tho„racis systole et diastole cum levi vel nulla tussi continuo suffocari „videntur: idque ipsum etiam evenit, subinde ita, ut tali spasmodica „affectione pulmones constringi et thorax coarctari ita videantur, ut „et respiratio libera impediatur et sanguinis per pulmones circulus.

h) Opera medica universa, Francof. 1669. fol. pag. 291.

i) Operum medicorum theoretico-practicorum tom. II. Francof. 1697. p. 273.

„Hinc fauces eorum rubicundae esse solent, et praecedere talem „affectum per aliquot dies vel raucedo levis vel tussicula."

Bonetus [k]) Adrianum Spigelium narrat inflammationem arteriae asperae et secretionem lymphae plasticae novisse. „Postquam Adria-„nus Spigelius, plurimum deditus experimentis, deprehendisset in „orthopnoïcis dissectis inflammatam arteriae tunicam, ob materiam „tenuem ac biliosam ipsi infarctam. etc."

Severinus [l]), qui de pestilente ac praefocante pueros abscessu scripsit haec refert: „Primum historia mali cum circumstantiis omni-„bus accurate descripta, qua monstratur, et ab Anno 1618. erupisse „insuetum inter nostras gentes affectum, qui homines, potissimum „pueros, extincto vel praecluso spiritu, novissime interimeret." Et alio loco [m]): „Pervestigata larynx crustacea quadam pituita, facie „exteriore contecta, citra ulceris speciem. Mortuus est puer octen-„nis, septimo post die, anhelus et anxius recto plurimum capite cu-„bans. Mihi quidem angina illa sicca visa est ab Hippocrate descri-„pta. L. progn. com. 15. part. 16. et ab Aretaeo l. acutorum."

Sed nolo his diutius immorari, quibus deinde nonnulla addam, dicturus de coniunctione tracheitidis cum exanthematibus et de la-ryngotomia. Nunc haec usque persequi superfluum est, opinor et longum; nam multa exstant loca in scriptis medicis seculorum supe-riorum, ubi signa praecipua tracheitidis inveniuntur sub nominibus anginae, asthmatis, dyspnoeae, catarrhi suffocativi, catarrhi pulmo-

k) In sepulchreto suo anatomico, Tom. I. lib. 2. sect. 1. observat. 4.

l) Haec commentatio addita est secundae editioni operis sui de Abscessuum recondita natura, libri VIII. Lugduni Batav. 1724. in 4to. et legitur locus citatus pag. 517.

m) Observationes paedanchone, in cadavere septennis pueri valetudinarii incurabilium dissecto observata 1642. mense Novembri. pag. 528. l. c.

nalis etc. Sed non poterit ex his morbus recte cognosci quippe quae non iunctim sed singula considerata occurrunt.

Velim ut quae nostris temporibus de tracheitide scripta sunt, accurate explorentur. Nonnulli enim inter scriptores de tracheitide falso referuntur. Alii nescio quo iure ex illorum numero tollantur. Hoc accidit Molloyo et Russelio, qui tracheitidem scarlatinae typhodae iunctam viderunt. Uterque morbum isto nomine appellatum egregie descripsit, quantum legendis iis facile convincamur.

2.

Existoit-elle (l'angine membraneuse) aussi communément dans le pays du Nord, qu'à présent avant le milieu du siècle dernier?

Estne angina membranacea in terris aquilonalibus nunc frequentior quam seculi superioris parte priori?

Ut libere profitear quid sentiam, morbus ille ante medium seculum praeteritum haud rarior, quam nostris temporibus fuisse videtur. Atque errant qui eum aut novum esse putant, aut saltem nunc frequentiorem contendunt [a]). E contrario de eo sum persuasus, hanc arteriae asperae inflammationem, sicut permultos alios morbos, quorum natura dissecandis demum cadaveribus clarius

a) Huc pertinent: Cookson de asthmate infantum suffocativo, Edinb. 1780. pag. 6.
Ferriar, in Samml. auserles. Abhandl. für pract. Ärzte, Vol. XIX. p. 116.
Alexander, l. c. in praefat. — Lentin. l. c. pag. 304.
Sprengels Handbuch der Pathologie, Vol. II. pag. 304.
Gutfeld, in Neues Archiv für medicin. Erfahr. Vol. II. Sect. 1. p. 69.
Harles, in Hufelands Journal etc. Vol. VI. pag. 562.
Vieusseux, l. c. pag. 153.

illustrari potest, sectionibus hominum, qui morbo isto periere, inde a semiseculo factis, ab aliis eiusmodi morbis probe dignosci. Refert quidem Goelisius [b]) e quatuordecim annis medicus instituti, quod curandis infantibus Vindobonae dicatum, se ex illo tempore centum sexaginta sex infantes tracheitide affectos curavisse; morbo, quem primo triennio prorsus desiderasset, sex sequentibus annis rariorem, et reliquis frequentissimum observasset.

Unde non video quomodo sequatur illum morbum et Vindobonae antea non exstitisse, et aliis urbibus plane incognitum fuisse. Quam ob rem prudenter arbitror Dalbergius [c]) refert tracheitidem ante annum 1760 observatam quidem non esse in Suecia, sed praesentem etiam medicos forte fugiisse.

Homius primus fuit, qui suo opere aliorum studia ad hanc rem direxit. Deinde morbus per dissertationes Edinburgensium et labores medicorum Sueciae et Americae magis magisque innotuit. Sed prorsus incognitus in Scotia ante Homium eiusque opus, non fuit, appellatus nimirum a plebe variis nominibus, quae ille refert. Idem de America et Suecia valet. Nam utriusque terrae medici nonnulla nomina afferunt, quae ab incolis tracheitidi imposita sunt.

Ceterum de Francogallia non dubito quin tracheitis saepe ibi observata fuerit. Quod nequaquam improbabile est. Nam constat magnum numerum esse Galliae medicorum, qui illum morbum descripserunt. Et affirmat Doubleius [d]) tracheitidem Lutetiae Pari-

b) l. c. pag. 4.

c) In tal om nagra det Svenska Climatets Förmaner och Olägenheter i anseende til halsan, hallit, uti Hans Kongl. Maj'ts höga närvaro för Kongl. Vetenskaps-Academien, vid. Praesidii nedläggande d. 2 May 1777. af Nils Dalberg. pag. 26.

d) in Journal de médécine de chirurgie et de pharmacie, tom. XXII. pag. 21.

siorum non raram esse, atque Bauchesneius [e]) saepius eam in nosocomiis dicit occurrere, quae maiorem infantum numerum contineant. Ellisonius, medicus Americanus, qui Burdegalae versabatur, interrogatur a me an frequens sit tracheitis infantum in illa urbe, haec respondit: „The disorder, called the Croup, does not prevail in any „great degree in this country. Instances are however frequent in „the spring of the year, and particularly in the clam parts of the „town.“ In Italia vero tracheitis non ita frequens esse videtur, neque ab Italis quidquam de illa scriptum existere arbitror, praeter Ghisii [f]) commentationem. Et nuper celeberrimus Pallonius, medicus Liburnus, literas mihi misit morbum non frequentem esse in Portu Liburno.

3.

Cette maladie est-elle devenue plus commune dans nos contrées, qu'elle ne l'était avant d'être mieux connue et mieux observée?

Estne morbus ille nostris regionibus nunc frequentior quam fuit olim, quum minus cognoscebatur et observabatur?

Nequeo hanc quaestionem soluere, quoniam res non satis explorata est. Igitur hoc tantum commemoro nonnulla repiriri in commentatione: Recueil des observations et des faits relatifs au Croup, 3 Paris. Juin 1808. pag. 63 et 64. Interim credo in Francia idem ob-

e) in Observation sur un Croup aigu, ibid. Tom. XXI. p. 17.

f) in Lettre medicine, 4. Cremona 1749.

tinere, quod supra de regionibus septemtrionalibus commemoravi. Si vera huius morbi indoles maturius fuisset cognita, abunde per scriptores convinceremur, morbum ibidem aeque crebro grassatum olim esse, aç hodie dum. Nihilominus tamen probabili opinioni locus relinquitur, qualem supra iam de regionibus septemtrionalibus protuli. Etenim profecto olim non rarior fuit morbus quam nunc est, sed non bene cognitus. Quapropter desunt nobis testimonia scriptorum.

4.

Est-elle plus commune dans les pays du Nord qu'elle ne l'est parmi nous?

Estne frequentior terris aquilonaribus, quam nostris?

Certum est tracheitidem in regionibus aquilonaribus saepius meliusque observari quam in Francogallia, quae ita opportuna est ad illam producendam. Quapropter miror exper. Caronium [g]) aliter sensisse praesertim quum alii id haud negaverint. Sed manca profert argumenta plane ignorans mores nostros. Igitur primum et optime morbus ille in nostris regionibus descriptus est, non alia de causa quam quia his frequentior erat. Sic enim Olbersius noster intra viginti septem annos centum et quinquaginta aegrotos tracheitide correptos vidit, quod vix ulli Francogalliae medico contigerit. Ego sexaginta et quod excurrit eo morbo affectos intra duodecim annos curavi, ut taceam eos quibus recurreret ille vel coniunctus esset cum exanthematibus aliisque morbis. Est in nostra

g) l. c. pag. XIII.

urbe locus trecentorum passuum ubi intra spatium septem annorum undecim infantes tracheitide corripiebantur, quorum septem morti occumberent, serius medicum advocando. Ex hoc numero ipse novem curans, quinque morte perdidi. Caeterum apud nos solent quotannis quadraginta vel quinquaginta eo morbo corripi, et a medicis curari. Praeterea autem esse arbitror quibus aut nullum aut malum fertur auxilium ab hominibus indignis nomine medici.

§. II.

Caractères propres et différentiels.

Signa praecipua quibus dignoscitur morbus.

1.

Quelle différence y a-t-il entre cette affection et le catarrhe pulmonaire, ainsi que les différentes espèces d'angine?

Quomodo differt tracheitis a catarrho pulmonum et a reliquis speciebus anginae?

Facile morbus noster a catarrho pulmonum distingui potest, etsi a principio nonnulla signa catarrhi habet. Ille enim catarrhus pulmonum per affectam membranam mucosam narium et pharyngis et laryngis eiusque ramorum insignitur. Non diffiteor quidem utrique morbo nonnulla signa communia esse, ut vox aspera et rauca et tussis profundior, sed plerumque medicus facile morbum cognoscit praesertim si iam tracheitidem viderit. Nam peculiaris sonitus sub tussiendo, quem difficile describi posse supra admonui, manifesto naturam mali docet. Atque raucedo in tracheitide magna est, qualem raro in catarrho infantum observasse memini.

Quae peculiaris tussiendi ratio optime discernitur in principio morbi, alternante illa tussi cum catarrhali, quod supra admonui. Accedit, quod a primo tracheitidis initio saepe operosa, lenta et sibi-

lans respiratio percipitur, etsi intermittens et levior est. Quodsi vero primum stadium emensa est vel maiori cum impetu orditur, tracheitis facillime cognoscitur. Nam signa catarrhi vel cessarunt vel desunt. Deinde etiam progressa tracheitide neque sonus ille quem tussis huic morbo propria edit, deest neque dyspnoea, simplici catarrho gravior. Nam etsi interdum in catarrhi lue insignis affectio tracheae, et adeo non levis dyspnoea deprehenditur, nunquam tamen mors inde adducitur.

Neque improbabile mihi videtur nonnullis infantibus talem catarrhum in inflammationem tracheae abiisse. Interea me praeterit, ullum auctorem qui de tali lue catarrhali differeret, singularem illam tussin diserte commemorasse. Sed alia signa afferunt quibus discerni iubent utrumque morbum, ut e. gr. dolores acutos et flagrantes in tota trachea vel etiam oesophago, usque ad processum ensiformem continuatos, affectas membranas pituitosas faucium, intestinorum, coniunctivae etc.

Quodsi de distinctione tracheitidis et anginae eiusque variis speciebus quaeritur, hic arbitror intelligendam esse cynanchen faucium, seu synanchen Graecorum, seu cynanchen tonsillarum, cynanchen pharyngeam, vel parasynanchen Graecorum et cynanchen oesophagi. Sunt qui sub nomine anginae (Bräune) multos morbos comprehendant, natura sua plane diversos. Huc pertinent angina convulsiva, angina hysterica, angina hydrophobea, angina nervosa, angina parotidea, angina pectoris aliaeque, de quarum cognitione nobis non dicendum erit.

Ceterum censeo anginae vocabulum prorsus removendum esse, appellando inflammationem partium, quibus deglutitur victus, cynanches, et inflammationem partium respirationi inservientium, tracheitidis nomine. Hoc fecit Reilius ut omnem huius rei errorem tolleret.

Cynanche faucium solo adspectu potest a tracheae inflammatione distingui. Nimirum conspicimus, aperto ore aegroti, posteriorem partem linguae, uvulam, tonsillas et omnino fauces inflammatas et plerumque albo muco tectas. Quae inflammatio saepe ad nares imo tubas Eustachii progreditur. Hinc sequitur devorandi difficultas et dolor, aures interne dolent, et continuo eiicitur pituita vel saliva secreta. Sonitus quem tussis edit nequaquam est similis peculiari illi in tracheitide usitato. Si aegroti de nare loquuntur, voce rauca vel acuta, id tumori membranae pituitosae narium et faucium tribuendum est. Nam tumida membrana interior tracheae talia non efficit tametsi aëri viam impediendo saepe suffocationis periculum adducit.

Deinde inflammatio tracheae a cynanche pharyngea distinguenda est, quae morbo antea descripto plerumque iuncta ad musculos faucium et pharyngis haeret. Iisdem fere signis ut ille cognoscitur. Sed maior difficultas devorandi deprehenditur cum insigni dolore ita ut potulenta, refluendo per nares, tussin convulsivam et magnam excitent.

Sed non facile tracheae inflammatio cum oesophagitide commutari potest. Haec manifesto dolore oesophagi et spinae dorsi insignitur, inprimis si cibi devorantur, qui interdum adeo reiiciuntur iam deglutiti. Ceterum oriri solet inflammatio oesophagi a causis externis; tum etiam respiratio impedita aliaque tracheitidis signa desunt.

Denique cynanche faucium catarrho iuncta procreat morbum, quem anginam catarrhalem serosam appellarunt. Differt a tracheitide per inflammationem membranae pituitosae faucium, uvulae tonsillarum. Tussis catarrhalis est, deglutitio impedita, sed facilis respiratio.

Ex his omnibus satis perspicitur quomodo illi morbi recte dignoscantur.

Commemorabo nunc anginam malignam, gangraenosam, ulcerosam sive cynanchen malignam, quam vocabant, sed falso opinor quia haec nomina uno signo alius morbi derivata sunt; scarlatinam, inquam, malignam seu typhosam, cui tracheitis solet iungi. In hoc morbo fauces inflammatae et alte rubentes mox maculis cinereis teguntur, quae nonnunquam profunda ulcera velant. Perinde deglutitio molesta est tussis autem exigua et respiratio naturalis; vox interdum aspera. Febris typhosa morbum comitatur. Quodsi huic affectioni tracheitis accessit, alia signa conspiciuntur, de quibus deinde dicam.

Inflammationi glandularum parotidum et submaxillarium (Oreillon) quam inepte anginam parotideam nonnulli vocant, nulla signa communia sunt cum nostro morbo.

Nam deglutitio quidem per tumorem glandularum, qui interdum adest, incommoda redditur sed respiratio illaesa manet. Narrat Protolongus se luem scarlatinae vidisse coniunctam cum summa spirandi difficultate, quae multis Anasarca reliquit. Equidem tumorem parotidum raro vidi et singulos tantum eo correptos. Sed infanti trimulo vidi tantum oedema oriri, ut caput reclinaretur. Per scarificationem repetitam et continuatum usum cremoris tartari boraxati cum squilla tumor post quatuordecim dies evanuit.

Iam paucis illustranda etiam est differentia tracheitidis et morbi quem Wichmannus asthma Millari, alii Croup spasmodicum appellabant. Et quidem multa exstant nuper de eo scripta a Germanis, ab Anglis [a]) et Francogallis [b]). Sed vereor ne haec

a) Field Memoirs of the medical Society of London, Vol. IV. pag. 175.

b) Schwilgué, Recueill des observations etc. pag. 68. 69. Double, l. c. pag. 40.

frustra sint acta. Et ipse beatus Wichmannus vir experientissimus, qui inprimis huic rei operam dedit, non certam et absolutam descriptionem illius mali dedisse mihi videtur. Sed operam dabo, ut id ipsum probabiliter demonstrem.

Est autem medico inprimis cavendum, ne ea neget, quae ipse non viderit. Igitur equidem non diffiteor existere posse illud asthma Millari, etsi nunquam observavi. Sed nego rectam esse Wichmanni descriptionem. Et testatur Olbersius, qui centies inflammationem tracheae curavit, se nunquam vidisse asthmate corripi infantes, quod illi simile fuisset. Quod affirmant etiam plures nostrae urbis medici; et Michaelis atque Goelisius Vindobonensis, qui per litteras rogati an idem cum Wichmanno observassent, se talia plane fugisse responderunt.

Sed quo melius intelligatur Wichmannum descriptione quam Millarus [c]) dedit, parum fuisse usum ad stabiliendam suam sententiam de similitudine asthmatis illius et tracheitidis, illum ipsum librum conferamus. Unde apparebit Millarum ne verbo quidem asthma suo nomine appellatum a tracheitide distinxisse, diserte affirmans hunc morbum non differre a tracheitide Homii [d]).

Quodsi Millari descriptionem asthmatis, quod acutum vocat, accurate perlegimus, manifesto cernimus confusionem asthmatis illius, cuius existentiam in dubium vocamus, et tracheitidis, quam commisit. Signa enim, quae primo stadio asthmatis propria esse dicit non alia sunt quam tracheitidis repente ortae absque praegresso catarrho. Quod vero hoc morbi stadium the intermittent stage

c) Observations on the asthma and on the hooping cough by John Millar, M. D. London 1769. in 8vo.

d) Dr. Home describes the latter stage of the Asthma, in his Inquiry into the nature, cause and cure of Croup, or suffocatio stridula etc. l. c. pag. 180.

vocat, id quoad respirationis difficultatem dictum est, etsi haec quoque non ubique sana fuisse videtur. Nam ait ipse [e]): „In that „state of the disease, which may be stiled the intermittent stage, „the patient was generally dull, timorous and dejected, even when „free from the asthmatic paroxysm.“ Nervorum turbas quas Millarus in hac periodo asthmatis vidit, etiam in tracheitide deprehendi supra expositum a me est. Invenio tamen aliquid commemoratum, quod in tracheae inflammatione nunquam vidi. Nimirum contendit ille interdum octo demum vel decem diebus praeterlapsis morbi paroxysmum rediisse; quod etiam innuit verbis: „latent, „intermittent stage.“

De secundo stadio Millarus scribit morbum ab initio parum remitti, sed spirandi difficultatem exiguam esse. Postea vero illum mitigari hanc augeri et continuam fieri. Ceterum descriptio eius convenit cum imagine quam de tracheitide depinximus. Attamen quod contendat morbum interdum fieri chronicum, singulare mihi videtur, neque observatum de tracheitide. Deinde in capite tertio, quod de diagnosi asthmatis agit tracheitidem omnino silentio praeteriit. Unde intelligitur ipsum asthma suum et inflammationem tracheae non distinxisse. Subinde alio probatur loco [f]) Millaro illum morbum nihil aliud fuisse quam ipsam tracheitidem parum recte cognitam. Et quoad prognosin, eadem signa periculosa esse censet, quae etiam de tracheitide nobis timorem excitant. Atque ibi contendit asthma in principio tantum remitti, deinde vero continuum esse. Intermissiones omnino praeteriit.

e) l. c. pag 20.

f) „In fait the violence of the symptoms during the paroxysm and the *almost* total „absence of them in the *remission*, together with their irregular succession to each „other are the principal diagnostic signs of disease.“ l. c. pag. 27.

In capite, de curatione morbi, videmus Millarum nequaquam recte discernere asthma et tracheitidem eo, quod nervosis morbis neque inflammatoriis illud accenseat. Igitur etiam medendi rationem antiphlogisticam reiicit. Manifesto cognoscitur per exempla quibus rem illustravit tracheitidis imago. Neque video in iis aliquod signum ab inflammatione tracheae alienum.

Deinde affirmat auctor se unum modo corpus infantis primo morbi stadio mortui explorasse; sed pulmones fuisse integros. At vero haec relatio non sufficit, quia laryngem et tracheam et huius ramos non commemorat. Sed aliud exemplum affert infantis decimo morbi die mortui et dissecti. Ibi arteria aspera cum ramulis (bronchial versels) repleta erat humore quodam albido et glutinoso, ab inflammata ut nobis videtur interna facie tracheae. Ipse vero haec non vidit, negotio quodam impeditus, sed relata refert [g]).

Ex his arbitror intelligi asthma Millari et tracheitidem infantum idem esse.

Nunc examinabo ea, quae Wichmannus [h]) de utroque morbo cognoscendo et distinguendo disseruit.

Et quidem signa, quae de asthmate Millari profert [i]) omnino conveniunt cum nostra deseriptione tracheitidis, ita ut Wichmannus inscius hanc potius observasse et descripsisse videatur [k]). Neque

g) „I could not attend ot the dissection, but was infomed by the gentlemen who „were present, that the vessels of the pleura, on the surface of the lungs and of the trachea „were turgid, and seemed obstructed, that the parts had a livid appearance ressembling that „which is observed, when an inflammation terminates in a gangrene and that the bronchial „vessels were filled with a white tough gelatinous substance.“ l. c. pag. 61. 62.

h) Ideen zur Diagnostik: beobachtenden Ärzten mitgetheilt von I. E. Wichmann, II. B. 1797. pag. 91 sqq.

i) l. c. pag. 201. ad 107.

k) ibid. pag. 110.

ea symptomata, quae peculiaria tracheitidi esse affirmat, ubique inveniri et ipse scio et omnes, qui accurate eam observarunt. Itaque primum, febris quae respirationem difficilem comitatur, non semper gravis est et interdum fere nullius momenti [l]). Deinde spirandi impedimentum in superiore parte tracheae latere videtur. Quod omnino probari non potest. Tussis vero non semper acuta est, sed interdum fusca ut gallorum cantus vel vox quam il Soprano Itali vocant [m]). Neque omnibus aegrotis morbus cum impetu incipit, ut in lecto decumbere coacti sint. Perinde morbi vis interdum remittitur [n]). In principio morbi, per intervalla sonitus in tussiendo est, qualis in catarrho observatur, et nec resolvi pituitam nec eiici videmus tametsi raucedo magna inveniatur [o]).

Faciem si in tracheitide respirandi difficultas adest, plerumque non rubicandam vidi, ut Wichmannus, sed pallidam et lividam aut una cum labiis caeruleam [p]). Tum contendit ille, studere tracheitide affectos impedimentum respirationis tussiendo tollere. Atqui videmus infantes ab initio morbi plurimum tussire; postea vero, collecta magna copia lymphae plasticae tussin imminui imo saepe desinere, aut certe nihil eiici. Saepius aegroti situm erectum amant; sed plerique caput reclinari praeferunt [q]). Mors non omnibus repentina est neque per concretiones polyposas adducitur, ut quam interdum inflammatio vel exigua lymphae plasticae collectio iam in principio morbi afferat, excitando diros spasmos in trachea [r]). Deni-

l) ibid. pag. 111.
m) ibid. pag. 111.
n) ibid. pag. 112.
o) ibid. pag. 112 et 122.
p) ibid. pag. 113.
q) ibid. pag. 114.
r) ibid. pag. 118.

que signa tracheitidis paulatim augentur neque continua sunt [s]. Nimirum remittitur morbus, quod a me antea est dictum et a compluribus medicis observatum.

Ante Wichmannum [t], Rushius [u] inflammationem tracheae in spasmodicam et vere inflammatoriam dividit hanc cynanchen trachealem humidam vocans, et discedens sententia quam antea tuebatur semper spasmodicam morbi naturam esse. Sed duo tantum signa affert, quae mihi singularia videntur et spasticam tracheitidem probant. Nimirum vidit morbum per integros dies intermitti, atque dissecuit infantem spasmodica tracheitide enecatum cui arteria aspera omnino illaesa erat [v]. Chalmersius [w] quoque infantem commemorat per quatuordecim dies vespera quaque impetum huius morbi per sex horas passum. Et Wichmannus alio loco [x] laudat sectionem infantis asthmate Millari mortui, quae trachaeam integram fuisse demonstraret. Haec in dubium vocare nequeo, et videtur iis confirmari illorum sententia de asthmate periculoso infantum, quod simile quidem sit tracheitidi sed natura sua ab hac diversum ideoque bene distinguendum.

Schaefferus in suo libello vere classico de morbis infantum [y] descripsit duos morbos a tracheitide diversos, alterum tussim spasmodicam ovinam (Krampf- oder Schafhusten), alterum paralysin pulmonum (Lungenlähmung) vocans. Hanc teneris infantibus ple-

s) ibid. pag. 122.

t) l. c. pag. 188.

u) A dissertation on the spasmodic Asthma of children: in a Letter to Dr. Millar. By Benjamin Rush, M. D. London 1770.

v) Medicin. Untersuch. pag. 194.

w) l. c. pag. 82.

x) l. c. pag. 116.

y) Kinderkrankheiten, pag. 370. 376.

rumque exitialem esse contendit. Sed non dubito fore ut haec retractet persuasus se non descripsisse novos morbos sed veram tracheitidem non satis observatam.

Verumtamen admodum incerta nonnullis esse ea quae adhuc de illis morbis discernendis dicta sunt; id intelligitur ex errore recentissimorum Germaniae scriptorum medicorum. Nam si tracheitidem conspiciebant manifesto remitti, confestim statuebant asthma Millari supervenisse, et nomine anginae polyposae spasmodicae [z]) morbum appellabant.

Alii vero cum Autenriethio [a]) putabant tracheitidem et asthma Millari eundem morbum esse, commutatum nonnunquam ab ipsa natura. Atque, ut obiter dicam, haec sententia non exiguum detrimentum affert dirigendo curationem simul in spasmos et inflammationem [b]). Nam credo equidem multos infantes hoc medicorum errore esse interfectos.

Quodsi in tracheitide moscho utimur, id non temere nobis est faciendum, incertis ut Lentinus [c]) an tracheïtis fit curanda an asthma Millari an utrumque. Sunt enim certae rationes quae moschum adhiberi iubent. Et repeto hic quod antea dixi satis certa esse signa quibus tracheitis cognoscatur, neque hanc commutari posse cum asthmate infantum, quod nescio an unquam inveniatur. Doleo, meritissimum Des Essartesium [d]) tracheitidem asthmati adnumerare: et nescio quo gaudio afficerer, si celeberrimo quondam

z) Hufelands neues Journal, II. B. 3. St. pag. 16.

a) „Das heifst, dafs beyde Übel einerley Krankheit sind, und nur in dem einen Falle „hervorstechende Gefäfsthätigkeit, in dem andern vorschlagende Nerventhätigkeit es ist, „was die pathologische Rolle spielt.“ l. c. pag. 48.

b) Quentin, in Hufeland Journal der pract. Arzneykunde, Vol. IX. Sect. 3. pag. 192.

c) Hufeland, l c. Sect. 2. pag. 98.

d) in Mémoire sur le Croup, lu à l'Institut, année 1808. pag. 85.

medico de natura huius morbi inflammatoria mea commentatione persuadere possem.

De cognitione tracheitidis quae per aliena corpora immissa oritur nolo plura addere quum eam satis exposuerim in praecedentibus. Neque arbitror tracheitidem posse commutari cum inflammatione pulmonum, tussi convulsiva et polypo organorum respirationis. Sed phthisin trachealem nunc commemorabo quae nonnulla signa tracheitidis habet. Nam deprehendimus in illa raucedinem, respirandi molestiam et sonitum in tussiendo qualis praecipue infantibus in tracheitide est, quod in puero quotidie experior; licet infantes rarius illo morbo corripiantur. In aegrotis hoc phthiseos genere consumtis videmus membranam pituitosam tracheae inflammatam esse et tectam humore qui lymphae plasticae similis videtur, sed accurate investigatus naturam ab hac diversam ostendit. Atque lenta eius etiam ratio aliaque signa satis docent morbum diversum. Longum est nunc de his amplius dicere. Alio tempore proponam scholae medicae Parisiensi, commentationem qua mentem meam uberius explicabo, addita delineatione exempli, quod in Museo anatomico possideo.

2.

Les symptomes qui lui sont particuliers tiennent - ils à une différence essentielle entre cette maladie et les autres?

Num symptomata huic morbo peculiaria ab eius natura vere diversa ab aliis morbis pendent, nec ne?

Signa tracheitidi propria non sunt explicanda per eius naturam peculiarem et diversam ab aliis morbis. Etenim inflammationem et secretionem lymphae plasticae huic morbo propriam esse nescimus. Sed derivanda illa sunt a structura peculiari, et impedita functione tracheae et pulmonum. Quomodo hoc fit, docui in prima parte huius disputationis. Igitur nolo illa repetere.

3.

Est-il des âges qui en soient exempts (du Croup), et quelles sont spécialement les époques de la vie, auxquelle il est le plus communément attaché?

Estne ulla aetas libera ab hoc morbo? et quasnam vitae periodos maxime et prae reliquis aggreditur?

Quum adultiores homines rarissime tracheitide corripiantur, dubium non est eam pertinere ad morbos infantum. Neque tenerrimam aetatem mittit immunem. Nam Des Essartesius curabat doctissimi Cuvierii infantem trimestrem qui tracheitide laborabat, neque felici successu destitutus[a]). Rariora tamen haec exempla sunt, neque ego simile

a) Mémoire sur le Croup, pag. V. praefationis.

vidi aut legi descriptum, excepto Molloyo [b]), qui infantem unius mensis hoc morbo affectum vidit. Equidem inter multos quos tracheitide laborantes curabam duos scio, quintum et septimum vitae mensem agentes. Posteriorem tanta vi aggressa est illa, quantam posthac non vidi. Profecto rarius infantes qui lactent eo morbo corripiuntur. Sunt tamen plures medici ut Leesonius [c]), Rumseyus [d]) et Alexander [e]), qui exempla huius rei adferunt. Atque etiam Vaughamius [f]), medicus apud Americanos in urbe Wilmington, refert anni 1800 mense Januario infantes lactantes prae reliquis tracheitidi obnoxios fuisse.

Frequentior est tracheitis primo et secundo aetatis anno tametsi ego plurimos intra tertium et septimum annum eo correptos vidi. Rariorem observavi a septimo anno usque ad duodecimum, quo praeterlapso unum modo exemplum huius inflammationis mihi notum est. Filius ille Olbersii quem dixi bis hoc morbo laborasse, postremum exeunte duodecimo aetatis anno eum passus est. Sed interdum etiam aetate provectiore ea aggreditur a veteribus cynanche vera, recentioribus angina trachealis Boerhavii appellata et descripta.

Neque hic ullum symptoma deesse solet, quo tracheitis infantum insignitur, etsi aliam speciem nobis praebeat. Sed quod Mi-

b) „It is peculiar to children and those chiefly of from a month to three, four, five, six, „eight, or nine years." Molloy l. c. pag. 110.

c) Medical and physical Journal: by Bradley and Willich. Novembr 1801.

d) l. c. pag. 174.

e) l. c. pag 31.

f) „The cynanche trachealis has been very general here this winter mostly confined to „infants on the breast." Medical Repository New-York 1800. Vol. III. pag. 339.

chaëlis [g]), Schwilguéius [h]), Dreyssigius [i]), Doubleius [k]), Caronius [l]) aliique contenderunt, differre nonnullis signis tracheae inflammationem in varia vitae aetate, id mihi non placet. Nam etiam infantibus tracheitis et per irritantes vapores, oritur et repente accedit cum gravi dolore tracheae coniuncta, adultis sicut infantibus respiratio sibilans est, quod Petrus Frankius [m]) aliique narrant et ipse observavi. Ceterum in adultis morbus non pertinacior est quam infantibus, de quo videatur Doubleius [n]).

Tum adultiores hoc morbo corripi testantur Ghisius [o]), Regnaultius [p]), Cheynius [q]), Frankius [r]), Michaëlis [s]), Rushius [t]), Gregorius [u]), Vieusseusius [w]), Thomanus [x]), Desaultius [y]), Ardoinus Bonhommius, Bernardus, Watonius, Guerinus, Lemairius [z]), Sachsius [a]) et

g) l c. pag. 71.

h) Recueil des observat. etc. pag. 66. 67.

i) Handbuch der medicinischen Diagnostik, 8. Leipzig 1801. Vol. I. pag. 146 sqq.

k) l. c. pag. 38. 39.

l) l. c. pag. 198 sqq.

m) de curandis hominum morbis epitome, Tom. II. pag. 107. „Vox plurimum hoc in „morbo mutata, vel rauca, vel clangosa, stridens et acuta."

n) l. c. pag. 39. 57.

o) l. c. pag. 9.

p) Journal de médecine, tom. LVII. pag. 527. alleg. a Burserio, tom. III. pag. 391.

q) l. c. Vol. I. pag. 68.

r) l. c. Tom. II. pag. 107.

s) Biblioth. Seit. 101.

t) Archer, l. c. pag. 12.

u) Yelloly, l. c. pag. 11.

w) l. c. pag. 164.

x) Annalen für das Jahr 1800. Würzburg 1803. Seit. 19. 287. 291.

y) Oeuvres chirurgicales par Bichat, Paris 1802. Tom. II. pag. 240.

z) Recueil des observations etc. pag. 76.

a) Lentin Beyträge etc. Vol. III. pag. 54.

Völkersius [b]). Sunt etiam alii, quos hic non nominavi quia nescio an veram tracheitidem descripserint. Quod profecto de exemplo sutoris a Tulpio [c]) commemorato et de duobus aliis in Hufelandi [d]) diario relatis statuendum est. De iis quos ego vidi et Stollius postea dicam.

Praeterea Keirius [e]), cuius dissertationem de tracheitide cum aliis Edinburgensium de eodem morbo scriptis nuper accepi, ait: „Dominam cognosco, quae aggressionibus repetitis cynanches trachealis „ab anno aetatis vigesimo laboravit, cuius mater etiam anno quadragesimo morbo nostro laboraverat; prioris liberi huic morbo praecipue obnoxii sunt, et iam ab illo unus mortuus est.“

Idem [f]) duo exempla commemorat aegrorum curatorum in nosocomio Regio Edinburgensi; quorum alter vigesimum primum, alter sexagesimum annum agebat, sed posterior mihi non videtur tracheitide laborasse.

Hamiltonius, celeberrimus ille professor in academia Edinburgensi, in praelectionibus suis narrabat, adultum intra sex horas a tracheitide interfectum fuisse [g]). Idem vir mense Octobris anni 1801 hominem 26 annorum, nomine Macleod, hoc morbo affectum in nosocomio Edinburgensi tractavit [h]).

b) Vid. Völkers Beylage zum XIV. Stück der Ratzeburgischen litterarischen Blätter, Sonnab. am 2. Apr. 1808. I.

c) Observat. lib. IV. cap. 8.

d) Vol. IX. Sect. 2. p. 180. et Vol. XX. Sect. I. pag. 143.

e) Vid. Dissert. medica inaug. de Cynanche tracheali, auctore Jacobo Keir. 8. Edinburg, sine anno. pag. 4. 5.

f) Ibidem pag. 37. 45.

g) Vid. Disp. med. inaug. de Cynanche tracheali, auctore Jacobo Dabney, Edinb. s. a. pag. 9.

h) Narrat hoc J. O'dwyer, in disp. med. inaug. de Cynanche tracheali. Edinb. 1805. p. 6.

O'dwyerius [i]), quem supra commemoravi et Dobneius [k]) referunt Washingtonium, celebricem Americae septentrionalis vindicem hoc morbo periisse. Dobneius, „non desunt," ait, „multa huius-„modi exempla. Ceteris missis sufficiat, mortem praeclari Wa-„shingtonii memorare: quem virum spectatissimum, nunquam nimis „plorandum, hic morbus acerrimus, iam annum sexagesimum no-„num aetatis agentem, brevi spatio quatuor et viginti horarum, arte „medica nihil valente, vivis eripuit."

Inprimis duplex causa infantes prae adultis tracheitidi subiicere videtur. Primum illi ad inflammationes et praesertim tunicae pituitosae inclinant. Deinde vero tracheitis exanthematibus iuncta esse solet, tenerae aetate infestis. Adultiores, qui tracheitidem habent in tanto vitae periculo, ut infantes non versantur; sed manifestior in iis est et gravior atque cito interdum mortem adducit, quantum Swietenius [l]) et allata exempla docent. Atque contendit Frankius [m]), cuius institutionem in clinico Vindobonensi semper grato animo tenebo, morbum in adultis non solum membranam pituitosam tracheae, sed etiam musculos et ligamenta laryngis corripere.

Ceterum variis argumentis ductus, morbum aetate provectis non tantum periculum afferre quam infantibus arbitror. Nam primum in adultis minor copia lymphae plasticae secernitur, unde fit ut aliae quoque inflammationes v. c. cerebri et pulmonum eos in tantum discrimen non adducant. Quod infantibus accidisse plures cadave-

i) l. c. pag. 1. 2.

k) l. c. pag. 6.

l) Commentar. ad Boerhave, Tom. IV. §. 802. pag. 67.

m) „Nunc autem superficialis modo, ac fere erysipelacea inflammatio internae laryngis „tracheae hic subest; nunc fortior membranarum, ligamentorum, musculorum laryngis in-„flammatio latet." De curandis hominum morbis epitome, auctore Frank. Venet. 1794. tom. II. pag. 108.

rum sectiones me docuerunt. Deinde illi non tanta irritabilitate tracheae praediti, spasmodicam eius constrictionem rarius patiuntur. Quae Leroius [n]) dicit: „Le conduit de l'air est plus étroit dans „l'enfance; sa membrane est molle, et ses nerfs, qui s'y répandent, „sont plus pulpeux.“

Denique, quod caput rei est, inde maior pernicies infantibus movetur, quod in his insignis angustia sit rimae glottidis. Hoc probarunt Leroius [o]) et Richerandus [p]) et ille quidem iam ante aliquot annos in opere citato. Atque his experientissimis viris adsentitur Soemmeringius de anatomia meritissimus, qui mihi scripsit se eandem opinionem iam abhinc multos annos habuisse. Sed quod ait Richerandus: „Entre le larynx et la glotte d'un enfant agé de trois „ou douze années, les différences de grandeur sont très-peu rémar-„quables, presqu' imperceptibles, et ne peuvent point se mésurer „par la stature des individues:“ id mihi aliter se habere videtur; refutatum quidem per explorationem externam colli.

Ceterum censeo atque expertus sum pueros magis quam puellas tracheitidi obnoxios esse. Quod partim per diversam formam tracheae et laryngis in utroque sexu explicandum est, iam hoc vitae tempore conspicuam; partim derivandum a maiore proclivitate puerorum ad inflammationes et causis, quae occasionem morbo praebent, apud pueros frequentioribus. Sunt etiam tracheitidi subiecti infantes robusti et sanguinis pleni, praesertim vero ii, qui per obesitatem et laxitatem fibrae saepius catarrho aliisque morbis membranae pituitosae adficiuntur. Illos morbus repente aggreditur cum suffocationis periculo coniunctus. In his catarrhi signa tracheitidem praecedere solent.

n) Vid. Moniteur de 1808. Nro. 223.

o) Vid. Leroy Heilkunde, pag. 351. Moniteur ibid.

p) l. c. pag. 326 sqq.

§. III.

Causes occasionelles déterminables.

De causis, quae huic morbo ansam dant.

1.

Est-il des circonstances connues appréciables, qui concourent à répandre plus généralement le Croup dans un pays que dans un autre?

Num innotuerunt momenta quae ad tracheitidem in quibusdam regionibus magis quam in reliquis propagandam conferant?

De causis occasionalibus, quas vocant, dicturus, silentio praeterire non possum me tracheitidem quocunque anni tempore vidisse; etsi summus aëri calor erat, uti mense Augusto anni 1807, quo apud nos regnabat. Et postea Maio anni sequentis inter insignem calorem quem acerrimum frigus praecessit ad tres infantes tracheitide correptos advocabar. Eodem tempore Olbersius tres alios curabat. Postremo eam vidi mense Julio ineunte quum calorem insolitum frigus sequebatur, et exeunte hoc mense quem gravis calor concomitatus. Sed inprimis a mense Septembri usque ad Martium vel Aprilem regnare solet. Apud nos etiam reliquorum mensium frigida et nebulosa tempestas huic morbo favet, praecipue Euro et Aquilone supervenientibus. Sed eminent hic Novembris vt Decembris quorum nebulae saepius per nonnullos dies continuantur ita ut sub

vespera quae ante oculos sunt distinguere nequeas. Quo facto vidi plerumque unum vel plures infantes tracheitide corripi, idque collegae mei testantur. Neque longa est mora. Sic filia mea mense Novembris 1805 tertia hora vespertina aperto curru vehitur mecum in pagum vicinum. Coelum admodum serenum est. Hora quarta conspicitur densa nebula. Sub vespera quum lectum adit, raucedinem persentit et nocte tracheitide infestatur.

Videtur etiam aëris celeri mutatione tracheitis oriri. Quod quidem observavi frigore cum Euro vel Aquilone coniuncto et secuto humidam tempestatem quam Auster et Zephyrus comitabantur. Sed nunquam frequens tracheitis erat si frigus et siccitas per hyemem continuabantur. Igitur etiam mense Decembris et Januarii, acutissimo frigore apud nos insignibus haud ita multum illa deprehenditur. Frequentior est noster morbus locis humidis, quae maiori fluvio, paludi, mari adiacent. Hoc probatur exemplo quod Crawfordius [a]) commemorat. Nimirum locum planum fuisse in Scotia, Carse of Gowrie vocatum, qui, situs ad fluvium Tay paludosus esset; atque in illo agro inflammationem tracheae regnasse. Hoc exsiccato rariorem factum esse morbum. Haec testatur Archerius [b]) similia expertus, his verbis: „And I know the disease takes place in a „far greater number of instances in the low marshy lands, called „the Neck, situated in that part of Maryland which lies between „the Chesapeak - bay and Bush - river, than it does in the upper„lands called the Forrest.“

Quam ob rem persuasum mihi habeo humidum aërem nostrae urbis adnumerandum esse caussis, quae morbi frequentiae favent.

a) In dissert. de Cynanche stridula, Edinb. 1771. pag. 13.

b) l. c. pag. 13.

Nam Visurgis fluvius mediam urbem perfluit, et mare vicinum manifestam vim in tempestatem demonstrat.

Wichmannus contendit Hannoverae rariorem esse morbum quam apud nos nec frequenter a se observatum. Atque etiam beatus Lentinus Hannoverae eum non ita frequenter vidit, quam ad sylvas Hercynias. Neque magis Brunsvigae a celeberrimo archiatro Pottio haec inflammatio observata est. Quid vero? Nonne utraque urbs remotior a mari est et tantum amniculo irrigata? At vero negari non potest urbes a mare remotissimas etiam eo morbo adfligi. Nam contendit Formeius Berolinensis se tracheitidem saepius ibi vidisse. Et nuper Goelisius Vindobonensis in hospitio quod infantibus sepositis prospicit, frequenter eam observavit, antea ibi incognitam. Neque contra omnia loca, quae maribus adiacent illi subiecta sunt. Pallonius Liburnensis enim mihi retulit rariorem in urbe esse tracheitidem quam in agris vicinis, etsi illa urbs ad mare Tyrrhenum sita est. Igitur errare videntur Homius et Dalbergius; quorum ille existimat hunc morbum oris maritimis proprium esse ab aura sale marino repleta qui dum ducitur illa, arteriam asperam excitet et ita secretionem morbosam producat. Sed hunc errorem experientia optime refutat. Addit morbum Edinburgi non tam frequentem inveniri quam ad portum vicinum Leith appellatum èt in pago Musselburgh, qui mari adiacent. Neque hoc negare possum. Nam ipse vidi illa loca fere continuis nebulis plena, Edinburgi autem serenum coelum. Verumtamen non recordor unius diei, dum in illa urbe commorabar, immunis a pluvia vel nebula, quae tanta interdum erat et tam putida ut nebula scotica (scottish mist) Anglis in proverbium abierit. Magni momenti est locus quidam Cheynii [c]: „In the second place „I have observed, that in Leith the danger is greater or less, in

c) Cheyne, l. c. pag. 31.

„exact proportion to the nearness or distance from the sea-shore; „and I conclude, that the observation would hold good elsewhere of „all the instances I have seen of the disease this year, amounting to „ten or eleven, not one of the children lived a stone-throw from the „sea-shore or harbour. In Edinburgh, which is only a mile and a „half distant from the sea, nay, in the skirts of Leith the farthest „from the beach, although not a quarter of a mile removed, the dis„ease is rare: I therefore warn parents to take the alarm as soon „as the disorder appears, and, where practicable I recommend a „change of habitation.“ —

Valde miror relationem Scheelii, medici Hafniensis, qui tracheitidem ibi rariorem invenit quam Hamburgi, ubi prius versabatur, tametsi haec et a mare remotior et magis ad meridiem sita est. Reimarus etiam, qui Hamburgicis per seculum dimidium sua arte profuit, tracheitidem ibi frequenter regnare affirmat. Idem de Lubeca statuendum est.

Non minus frequens morbus est regionibus montanis quod disertis verbis Vieusseusius [d]) de Geneva asseverat, etsi lacus Lemanus huc aliquid conferre mihi videatur. Et vidit Boehmerus [e]) quondam in valle divi Nicolai ad sylvas Hercyniae luem huius morbi, quem Lentinus [f]) in eodem loco saepius observavit.

Praeterea causis, quae tracheitidi occasionem praebent adnumeranda sunt aetas iuvenilis, sexus virilis, et morbi exanthematici. Sed de iis alio loco dicam.

Praecipua caussa quam ab antiquissimis temporibus morbum

d) Journal de Médecine par Corvisart, May 1806. pag. 568. S. a. A. f. pr. Ärzte, Vol. XXIV. pag. 11.

e) Michaelis Bibliothek, pag 104.

f) Hufelands Journal, Vol. II. Sect. 2. pag. 169.

produxisse certe novimus, est ignota quaedam conditio vel rerum externarum natura, quam constitutionem epidemicam vocant. Et videtur haec conditio nunc frequentior esse quam olim fuit quod omnino explicari nequit. Ita non potest demonstrari cur nonnulla mala nunc frequentiora sint dum alia evanescunt aut silent.

Ad causas, quae singulis hominibus inflammationem tracheae producunt pertinet per leviora vestimenta quibus tegimur vel aëris repentinam mutationem admissa refrigeratio. Quam ob rem perniciosus mos est in regionibus aquilonaribus, et divitibus praecipue consuetus, ut liberos pectore nudo aut leviter tecto aëri exponant, immemores periculi, quod pectori et tracheae frigus minetur. Atque suspicor ita in Scotia, quae infantes saepe nudo pectore et pedibus per hyemem incedere iubet, tracheitidem saepissime oriri. Deinde etiam inimicum esse arbitror caput frigori magno exponi, v. c. crines nimis tondendo. Atque inprimis cavendum est ne haec accidant infantibus, qui hunc morbum iam passi, aut certe ad eum proni videntur. Nostris demum temporibus intellectum est capillorum curam, cuius insignis vis esse videtur in valetudinem pectoris, maximi momenti esse. Saepe vidi infantes tonsis crinibus tussi et raucedine corripi.

Neque aliter sentit Soemmeringius, qui iam ante plures annos capillis tonsis originem tracheitidis tribuit [g]), et nuper ad me scripsit se nunquam infantem hac affectum vidisse, integris illis. Wolfius Altonaviensis de hac re dicit: „non memini me hoc morbo Iudaeos „Altonavienses pauperiores affectos vidisse, quamvis inde ab octen„nio ptochiater huius coetus, ducentis familiis pauperioribus auxi„lium tulerim. Quod optime explicari potest opinor e more apud

g) Vid. Götting. gelehrte Anzeigen, Jahrg. 1804. 63. Stück. pag. 624.

„Iudaeos sancito partim per religionem, partim per consuetudinem „infantum et praecipue puerorum caput obtegendi“ [h]).

Sed uti nobis cavendum est a pernicioso more nostri aevi infantes iubere caluorum instar in frigidissimo aëre ambulare; ita nimiam curam capitis commendare nolo. Interdum post repentinam aëris mutationem gravis morbi impetus superoritur. Sic vidi infantem sub vespera e calido in frigidum cubiculum portatum eadem nocte tracheitide corripi. Et iurisconsulti in urbe nostra filius decennis ex hoc morbo moriebatur delapsus in fossam aqua repletam dum calidus erat.

Perinde infanti qui a typho convalescebat continua vociferatione morbus oriebatur, irrita omni cura quae illi placando impendebatur. Sed de hoc exemplo postea agam in capite eo quod cadaverum sectiones describit. Ex his intelligitur quantum incommodum existat per humidum domicilium, quod manifesto duobus infantibus inflammationem tracheae conflare viderim. Neque despicienda hic est inhalatio oleorum, quae magnum odorem spargunt, et aliorum vaporum.

Cuius rei gravitas apparet opinor exemplo, quod celeberrimus Leroius commemorat [i]). Nimirum pharmacopola quidam inspirando gas acidum muriaticum oxygenatum suffocabatur, eiiciens membranam qualis in tracheitide deprehenditur. Atque Pallonius litteras ad me misit quibus infantem pharmacopolae eadem ratione enecatum professus est.

Ceterum vivendi ordine et conditione parentum tracheitidem produci prorsus non affirmo, dubius an illa ad eam valeant aliquid nec ne. Verumtamen divites aeque ac pauperi morbo corripiuntur

h) Wolf über die Luftröhren-Bräune der Kinder, 8. Altona 1808. pag. 36. 37.

i) Vid. Moniteur anni 1807. Nro. 224.

etsi aliter Lentinus [k]) sentiat. Quam sartoribus frequentiorem inveni tracheitidem, fortuita fuisse videtur. Nam neque ab aliis confirmatur neque probabilis haec opinio est.

2.

Avec quelles maladies regnantes concourt-elle (l'angine polypeuse) le plus communément?

Quibusnam morbis epidemicis maxime iungitur angina membranacea?

Omnes, qui illos morbos commemorant, in eo consentiunt opportuniores infantes reddi ad tracheitidem constitutione quam vocant catarrhali. Quod non solum apud nos, sed etiam in America locum habet, testantibus viris eruditis qui Philadelphiae, Novi Eboraci et Baltimoriae medicinam exercent. Commentationem summi momenti in libro: Medical Repository, exhibuit Jeremias Barkerius, qui Portlandiae versatur, narrans Januarium et Februarium anni 1801 frigore insignes fuisse, Martium et Aprilem insolito calore et pluvia quotidie fere repetitis. Illo tempore homines sanos fuisse hoc autem „Catarrhal, inquit, affections were prevalent among „adults, and several cases of Croup occurred among young chil- „dren" [a]). Hoc testatur Bernardus, qui etiam tracheitidem inter

k) Hufelands Journal Vol. II. Sect. 2. pag. 196.

a) The medical repository, and review of American publications on medicine, surgery and auxiliary branches of philosophy conducted by Mitchilland Miller. New-York 1802 Vol. V. Nro. 3. pag. 268.

luem catarrhalem regnare viderit; et Baillovius, Brewerius, Larochius et Rechovius [b]).

Neque rara est apud nos coniunctio tracheitidis cum cynanche faucium et catarrho, qui frigore humido saepius observantur quam sicco etiamsi acutiori. Praeterea Simesius vidit uno tempore infantes tracheitide, adultos pneumonia corripi [c]). De quo nequeo iudicium ferre an verum sit, quia forte acri hyeme, in qua pneumonia maxime synochae naturam habens regnabat, nonnullis tantum infantibus tracheitide affectis medebar. De exanthematibus, quae cum hoc morbo coniuncta vidi postea plura dicam.

3.

Est - elle épidémique?

Estne epidemica?

Non dubito quin nonnunquam tracheitis epidemice grassetur; id quod anno 1556 Parisiis atque 1747 et 48 Cremonae accidisse narrat Baillovius et Ghisius. Rosensteinius talem epidemiam commemorat, quae 1661 et 1762 multos infantes Holmiae, Upsaliae, in Rasbovia et Fundbovia occidit. Idem vidit van Bergenius 1764 Francofurti ad Moenum. Lues Wilckio Holmiae anno 1766 observata nescio an vere tracheitis fuerit aut scarlatina typhosa. Ille enim hunc morbum saepe cum illa commutare videtur. Caronis vero descriptio tracheitidis quam eodem anno in Fano sancti Germani

b) Vid. Recueil etc. pag. 79.

c) Vid. Jacob Sims Bemerkungen über epidemische Krankheiten, 8. Hamburg 1773. pag. 33.

(Saint-Germain en Laye) observasse dicit, admodum imperfecta est. Sed certum est tracheitidis luem, Calmariae anno 1768 a Wahlbomio, Holmiae 1772 a Baeckio et Salomone atque Werthemii eodem anno a Zobelio, esse observatam.

Nuper observata est lues tracheitidis Portlandiae a Barkerio [a]) et Northemii a Mostio [b]), utraque anno 1799 regnans. Eandem vidit Jonas in pago Mont-joye prope Aquisgranum anno 1804 [c]) et anno 1807 Autenriethius Stutgardiae. Frequens fuit anno 1808 in principatu Lauenburgico, Saxoniae inferioris. Nam et Ratzeburgi observabatur et in aliis oppidis; atque in pago Carlovio tredecim infantes illo morbo obierunt [d]). Referunt etiam Cooksonius et Alexander tracheitidem ad classem morborum epidemicorum.

Nonnunquam morbus in loco quem antea non aggressus erat epidemicus oritur. Quod testante medico Fellio [r]) accidit Lancastriae ab eo liberae usque ad annum 1760. Neque tamen hoc certo definiri potest de morbo nuper demum satis cognito. Plerumque in singula tracheitidis lue, quod aliis morbis etiam accidit, hoc vel illud signum prae ceteris eminet, tametsi praecipua signa ubique inveniantur.

Insolita signa quaedam comitabantur morbum grassantem Novi Eboraci anno 1794 [f]). Erat enim respiratio non ita operosa, neque urgebat venaesectio, sed emetica et balnea tepida salutem

a) Medical repository Vol. VI. Nro. 1. pag 23. „Haec lues mense Septembri usque „ad finem Novembris regnans multos infantes interficiebat."

b) Hufelands Journal, Vol. VIII. Sect. 3. pag. 98.

c) ibidem Vol. XX. Sect. 1. pag. 136.

d) Völckers l. c. Cap. I.

e) Cookson, l. c. pag. 8.

f) An account of the epidemic fever which prevailed in the city of New-York, during part of the summer and fall of 1796 by Richard Bayley, New-York 1796. pag. 56. 57.

optime restituebant. Apud nos fere quotannis plus minusve epidemica est tracheitis, qualem ex his undecim annis hieme quaque vel vere ego et alii observarunt. Atque vidi a mense Octobris 1807 usque ad Calendas Januarias 1808 novem eiusmodi casus, eodemque tempore Olbersius sex curavit. Quod ad aëris conditionem attinet tracheitidem promoventis, nolo ea repetere, quae iam dixi. De numero aegrorum quos vidimus deinde dicturus sum.

4.

Peut on la regarder comme contagieuse?

Estne morbus contagiosus?

De hac re medici dissentiunt. Halenius [a]), Wahlboomius [b]), Alexander [c]), Rumseius [d]), Jonas [e]) et Bernardus [f]), dubii haerent non satis rem definientes. Negant contagionem Zobelius [g]), Michaëlis [h]), Chalmersius [i]), Schäfferus [k]), Thilenius [l]), Borro-

a) Berättelser in läm nade til Kongl. Collegium medicum rörande Medicinal-Verkets til standi Riket; såsom en fortsättning af Provincial-Medicorum berättelser til Kongl. Collegium medicum, som äro tryckte ar 1762. hes Nyström och Stolpe. Stockholm tryk pa Direct. Lars Salvä Kostnad 1765. pag. 149.

b) Michaelis de angina polyposa, pag. 276.

c) l. c. pag. 13.

d) l. c. pag. 156.

e) In Hufelands Journal, Vol. XX. Sect. 1. pag. 148.

f) Recueil etc. pag. 81.

g) Michaëlis l. c. pag. 261.

h) ibid. pag. 68.

i) l. c. pag. 80.

k) Samml. für pract. Ärzte, Vol. XVI. pag. 117.

l) in medicin. und chirurgische Bemerkung. 8. Francof. 1789. pag. 52.

wius m) Hullius n), Fürstenavius o), Dureillius, Schwilgueius, Doubleius p), O'dwyerus q), Dabneius r) aliique. Hullius: „I have," inquit, „also known cynanche trachealis attack five children, within „about a week, in two contiguous houses, that were at a distance „from any town or village" s). Addit vero quod ex his indoles contagiosa non probetur, tot argumentis reiecta.

Inter eos, qui tracheitidem utique contagiosam esse arbitrantur, sunt quidem Rosensteinius t), Fieldius u) Gölisius w), Duboueisius x), Bartonius, medicus Philadelphiae y), et Russelius z). Sed in eo ab his viris discedi, quod hunc morbum contagione propagari contendant. Pertinet enim ad inflammationes, quibus alii non inficiun-

m) l. c. pag. 9.

n) An essay on phlegmatia alba dolens, Manchest. 1800.

o) De angina membr. pag. 12.

p) In Recueil etc. pag. 81.

q) l. c. pag. 8.

r) l. c. pag. 4.

s) l. c. pag. 253.

t) l. c. pag. 707.

u) Mémoirs etc. Vol. IV. p. 151. et Vol. V. p. 176. germanice conversum in Samml. für prakt. Ärzte XIX. p. 561.

w) l. c. pag. 4.

x) Vid. Recueil etc. pag. 81.

y) Archer l. c. pag. 16. ubi: „Dr. Barton, inquit, lately informed me, that in latter „end of the year 1793. the hives prevailed much in Philadelphia, and from several unequi- „vocal cases, there was no doubt left him, as to its contagious nature."

z) „I have seen this distemper carry of very sudenly several children in a family; which „makes me suppose it communicable, like a measly cough. And indeed in some cases I have „observed eruptions appear in the skin, but more commonly it happens without any." Oeconomy of nature in acute and chronical diseases of the glands, by Russel. Lond. 1775. p. 73. Verisimiliter hoc exanthema fuit scarlatina typhodes, uti ex sequentibus patet: „In some of „these cases, the tonsils are affected, and there are little creeping ulcers, which spread „about the larynx and alter the voice." Ibid. pag. 72.

tur. Et si quis dixerit, plures infantes eiusdem familiae una vel deinceps morbo corripi, id nihil probat. Nam hoc rarius accidit et plerisque immunis a morbo consuetudo cum aegroto intercedit. Quid quod ipsa aëris ratione morbus, qui saepius epidemice regnat, produci videtur, infesta multis hominibus. Neque in hac re aliarum inflammationum v. c. pneumoniae, anginae faucium exemplis destituimur.

5.

Est-elle quelque fois consécutive d'une autre maladie, et spécialement d'une maladie éruptive?

Num interdum tracheitis alios morbos et quidem exanthematicos sequatur?

Tracheitidem exanthemata haud raro comitantur, quantum nonnulli opinantur minus recte haec observantes et morbi facie aliquantum immutata seducti. Morbus nimirum hic singularem naturam habere videtur, quia alius generis est inflammatio diversa a simplici tracheitide. Neque solum exanthematicos morbos eandem semper tracheitidi induere naturam arbitror, sed specificam illam singulo quovis exanthemate produci, in varia admodum tracheitidis facie conspicuam.

Quod nobis non mirum videbitur considerantibus mutationes, quae aliorum organorum inflammationibus inferuntur per corporis ipsius rationem. Similiter peritonitis et pneumonia, quae ubique secretioni lymphae plasticae favent illa puerperis, haec morbillis iuncta in infantibus praecipue secretionem commemoratam procreant. Et quem fugit diversa oculi inflammatio observata in exanthe-

maticis morbis vel hominibus scrophulosis et post suppressam repente gonorrhoeam? Quibus hominibus etsi omnibus vasa sanguinem vehentia inflammata sunt, tamen diversae eorum in singulis affectioni peculiaria signa tribuenda, et propriam quisque curationem requirit.

Quae cum ita sint, observata mea de tracheitide variolis morbillis et scarlatinae iuncta, proferam. Antea vero aliorum scriptorum sententias commemorabo. Quorum plurimi et recentiorum et antiquiorum temporum, agentes de variolis, singula tracheitidis signa recensent, raucedinem quidem asperum et acutum sonitum in tussiendo, difficultatem respirandi aliaque. Inter veteres medicos Rhazesius a) iam dixit: „Post hanc oculi curam de „gutture etiam et ore curandum est, ne quid in alterutro erumpat, „quod aegrotanti noxam adferat gravem, vel respirationem eius „praepediat. Saepius enim cum variolis pravi moris, accedunt „strangulationes difficiles, vehementes etc. et cum res ita se habet, „de salute et convalescentia aegroti nec minima spes restat.“

Sed dubito an fuerit ullus ante Cotunnium, qui talia symptomata ab inflammatione tracheae pendere dixerit. Nam ille de puero dissecto summa spirandi difficultate mortuo refert: b) „Tracheae „autem apertio interiorem totam eius faciem inflammatam exhi„buit, quam omnem crusta quaedam nova integebat, tegminis in„star membranosi, densa et subalbida, facile separabilis, nihil dis„similis a spuriis membranis illis, quae superficiem interiorum inflammatarum partium passim occupat.“

Quae inflammatio etiam bronchias corripuisse videtur, nam

a) Rhazes de variolis et morbillis. Vid. Alexander Trallianus ex edit. Halleri, Tom. II. pag. 249.

b) Cotunni de sedibus variolarum syntagma, 8. Viennae 1771. pag. 38.

addit Cotunni: [c]) „Bronchia spuma quadam densa subrubra erant „pleniora.“

Ceterum ex aliis quoque locis huius libri patet, Cotunnium tracheitidem variolis iunctam observasse, tametsi lymphae plasticae collectionem non commemorat [d]). Deinde Wrisbergius vidit variolas cum trachea inflammata coniunctas [e]). Neque Hoffmanno [f]) incognitum erat periculum quod in suppurantibus variolis, haec inflammatio affert. Quem virum eruditum pulmones cum arteria aspera in variolis inflammatos vidisse Soemmeringius e volumine tertio manuscripto libri laudati nobis retulit; eundemque Hofmannus ipse adfirmavit omnes, qui e variolis moriantur interfici inflammatione pulmonum et tracheae. Nam materiam variolosam per pulmones emitti arbitrabatur, quam opinionem gravissimam esse censuit.

Sed primam huius rei notitiam ad doctam Reilii Halensis commentationem de affectibus laesae respirationis et deglutitionis morbo varioloso propriis [g]) ipse refero, per multa cadaverum exempla demonstrantem aegrotos variolosos tracheitide enecari.

Quae cum ita se habeant, vehementer miror recentiores medicos parum modo animum ad ea attendisse. Nullum enim scriptorem scio praeter Pinelium [h]) utriusque morbi sibi invicem nupti disertam iniecisse mentionem.

Vidi equidem ante hos decem annos lue variolarum epidemica multos infantes et in urbe nostra et in aliis periisse locis. Tum

c) Ibidem.

d) l. c. pag. 44. 120.

e) De variolis internis, §. 16 et 18. Vid. Novorum Commentariorum Societatis Regiae Goettingens. Tom. V. pag. 66 sqq.

f) C. L. Hoffmann von den Pocken, Mainz 1789. tom. 2. §. 75 et 649.

g) I. C. Reil memorabil. clinic. medico-pract. fascic. 3. p. 55.

h) Médecine clinique, pag. 115 et 221.

studui Reilii sententiam quam modo legeram, propria experientia comprobare, multiplici occasione adiutus. Et multum mihi profuit in hac re indaganda, investigatio cadaverum quorundam infantum e plebe egena, quae multis et precibus et pecunia redemi.

Sed morbus ita variolis consociatus praeter pathognomonica tracheitidis signa peculiaribus etiam nonnullis immutatam aliquantum sui testatur naturam. Etenim tracheitis his omnibus sensim sensimque oritur non coniuncta cum signis illis suffocationem minantibus. Deinde tales aegroti magna raucedine laborant ita ut quid dicant, intelligi nequeat et collum humore strepente et tenaci impleri videatur. Tussis autem neque tam gravis neque tam acute sonans prodit, sed fusca potius et interdum crepitans quasi aliquid materiae tenacis solvatur. Attamen aut nihil eiicitur aut tantum mucus tenax et mixtus saliva. Certe nihil vidi lymphae plasticae simile.

De doloribus laryngis nullus conquerebatur, quem ego curavi, etsi interdum observati illi ab aliis medicis. Neque tumorem in collo conspexi quem Reilius [i]) ruptae tracheae et aëri in telam cellulosam suggesto tribuit.

Deglutitionem difficilem et trachea et membrana faucium laryngisque inflammatae secum ferunt, ita ut potum aegroti recusent. Accedit plerumque etiam pulmonum inflammatio, quae signa tracheitidis ita obscura reddit ut medicos fugiant. Spirandi difficultas maxima est et cum summo angore aegrotorum coniuncta, ita ut faciem, stragula aliasque res sibi proximas dilacerent. Neque per ingentem dyspnoeam infantes in lecto manent quem confestim relinquunt quietem in gremio matris quaerentes et capientes.

i) l. c. pag. 77.

Nunquam vero vidi tracheitidem mitiorum sed malignarum variolarum cum febre typhosa iunctarum comitem, quibus affecti aegroti inter terribiles nervorum turbas, convulsiones, deliria, stridorem dentium apoplexiam exspiravere.

Plerumque tracheitis variolis suppurantibus demum supervenit, quantum et ipse et Rushius [k]) viderunt; erumpentibus bis tantum adiunctam se nobis obtulit et nunquam exsiccatis iam illis. Reilius [l]) vero huius rei exemplum affert, et Olbersius infantem undecim annorum tracheitidem repente expertum vidit post fugatas iam variolas, quae confluxerant, emetico et emplastro vesicatorio sanatu facillimam.

Denique causis inflammatae tracheae adnumeratur vulgo a medicis salivatio suppressa. Quod vereor ne temere factum sit. Nam pendent multa signa variolarum typho iunctarum a graviore nervorum labe ut egregie ait Reilius. Attamen memoratu dignum est nunquam tracheitidem hic oriri saliva recte fluente, quod iam Mortonius [m]) confirmabat aiens: „Sub finem huius stadii declinante „nimirum salivatione, saepissime respiratio subito atque in exspe„ctato vel in citissimam ac debilem vel in difficilem et suspiriosam „mutatur.“

Frequentiorem fere tracheitidem nuper vidi, quum ante hos duos annos morbillorum lues apud nos regnabat. Quae coniunctio non difficile cognoscitur. Nam si discesseris a levioribus immutationibus, eadem est qualem supra descripsi. Tum memorabile videbatur omnes infantes, qui antea tracheitidem superaverant, morbillis non nisi recens suborta ea adfici. Similiter Fiel-

k) l. c. pag. 189.

l) l. c. pag. 80.

m) In Pyretologia. Genevae 1696. cap. VI. de variolis, pag. 105.

dius [n]) tracheitidem vidit morbillorum eruptionem antecedere, atque dixit illam eatenus a catarrho differre quatenus magno cum impetu orta interdum ante proruptos morbillos cessaret; catarrhus autem primum levis deinde augeretur donec morbilli in conspectum venerint. Cui tamen ego non adsentior alia experientia edoctus. Vidi enim nonnulla exempla tracheitidis ortae ante eruptos morbillos et postea continuatae.

Sed eo tempore quo luem commemoratam apud nos habuimus subito tracheitis oriebatur. Et memini infantis cui tanta dyspnoea erat ut anxia mater medici forte praetereuntis auxilium imploraret. Deinde nonnulli a principio morbi dolores laryngis persentiebant. Febris plerumque gravis erat synochae signis notata.

In paucis vero infantibus, eruptos iam morbillos tracheitis secuta loco catarrhi membranae pituitosae in trachea, qui rauca tussi cognoscitur; in duobus unius familiae infantibus absolutam adeo desquammationem, haud sine vitae discrimine. Et inter erumpentes morbillos vel antea orta, coniuncta erat cum sonitu fusco, rauco, qui in tussiendo edebatur, et raro ad summum gradum adscendebat.

Scilicet statim arcessitus recentem impugnare potui morbum. Sed alii medico non talis fortuna contigit. Neque enim omni cura et solertia par fratrum morti eripere potuit, etsi reliquos tracheitide correptos infantes suae curae traditos sanasset. Similiter de duobus illis, quos supra dixi morbi fastigium adsecutos esse ipse iam desperaveram. Nam febris morbo repente orto synochae naturam habebat, ut fere in omnibus his aegrotis; tametsi infantes illi per superatos morbillos debilitati erant. Quam ob rem adhuc laetor de usu remediorum debilitantium quae sola iis salutem adtulerint. Simili modo

n) l. c. Tom. V. pag. 166 sq.

exempla citata ab Augustino [o]), Rumseio [p]) et Schaeffero [q]) comprobant periculum tracheitidis morbillos secutae. Et Rumseius quatuor adfert hac ratione defunctos.

Quodsi tracheitis scarlatinae supervenit, malum est. Neque possum negare experientiam Tucker Harrisii [r]) medici Americani, qui dicit: „After this, an other change of atmospheric constitution „took place, and, from 1783. we were sincerely handled, for four „or five years, with scarlatina anginosa, some times attended with „croup. When this last symptom was present, the patients uni- „versally died.“ Et quum apud nos ex annis quinque continua lues scarlatinae regnaret, non defuit mihi occasio tracheitidem illi iunctam observandi. Sed in tribus modo hac lue laborantibus, tracheitidem cum febre synocha coniunctam vidi. Reliquis maxime typhosa erat appellata ab Anglis „putrid sore throat.“

Sed ante hos decem annos regnante apud nos scarlatina uxor viginti annorum in qua summum illa synochae gradum ascenderat tracheitide corripiebatur faucium et tonsillarum inflammationis experte. Accessit vero haec tracheitis secunda die post eruptam scarlatinam, quae totum corpus colore rubro obtexerat. Tussis asperrima erat et fusca, inspiratio sibilans et dyspnoea tanta ut prono corpore in lecto sedere coacta esset. Haec postquam viginti quatuor horas continuata erant, et sensim sensimque imminuta, foemina salutem recuperavit. Similiter sub finem mensis Julii anni 1808 infantem vidi

o) Journal der ausländischen medicinischen Litteratur, von Hufeland, Schreger und Harles. Vol. I. pag. 13.

p) l. c. pag. 166. 167.

q) Kinderkrankheiten, pag. 332. 333.

r) The Philadelphia medical and physical Journal: collected and arranged by Barton. Philadelphia 1805. Part. I. Vol. 2. p. 28.

robustum quartum cum dimidio vitae annum agens, inter eruptionem scarlatinae tracheitide corripi. Celerrime advocatus a matre, quae ipsum exanthema in pectore, abdomine et femoribus conspicuum, non antea observaverat, infantem feliciter restitui.

Tali coniunctione scarlatinae et tracheitidis etiam Stollius [s]) laborare vidit sutorem duodeviginti annorum. Explorato eius cadavere, arteriam asperam cum ramis suis valde inflammatam deprehendit; lympham vero plasticam quae secreta fuisset non commemorat.

Scarlatinae malignae, quam vocant, saepe tracheitis adiungitur. Quam ob rem cum ab aliis multis tum ab Aurivillio [t]), qui commentationem doctam de hac re scripsit, haec commutantur. Atque vix quaedam de scarlatina maligna invenies scripta, quae hoc vel illud signum tracheitidis non contineant. Huc pertinet Starrius [u]), Iohnstonius [w]), Witheringius [x]), Clarkius [y]), Ueberlacherus [z]) et Rushius [a]), qui hoc utriusque morbi connubium sibi notum descripsere. Idem ab Heberdeno factum esse patet ex aliquo loco [b]) libri ab eo editi.

s) Ratio medendi, Viennae 1790. Part. VII. pag. 92. Historia morbi XII. „Angina membranacea in stadio adhuc inflammatorio constituta."

t) Diss. medica de angina infantum in patria recentioribus annis observata, quam praeside Samuele Aurivillio publico eruditorum examini subiecit Henr. Daniel Wiecke. Upsal. 26. Jun. 1764. recud. curavit Sandefort in thesaur. dissert. Vol. II. Roterodami 1759.

u) Philosophical Transact. Nro. 49. 1749.

w) Treatise of the malignant angina or putrid and ulcerous sore-throat etc. by J. Jonstone, Worcester 1779.

x) An account on the scarlet fever and sore-throat Lond. 1779. in 8vo.

y) Observations on fever especially those of the continued type, and on the scarlet fever attended with ulcerated sore-throat, by John Clark. Ibid. 1780.

z) Abhandlung vom Scharlachfieber, Wien 1789.

a) l. c. pag. 165.

b) pag. 22. „Mucus autem ille tracheam quoque velabat usque ad eius divisionem, in „cuius superiore parte fere in membranam coierat, in inferiore muco similior erat." Commentarii de morborum historia et curatione. Recudi curavit Sömmering, 1804.

Quodsi scarlatinam malignam haud statim a principio febris typhosa, sed vel levior vel gravior synocha comitatur, nunquam vidi tracheitidem in primo stadio morbi oriri, sed in secundo. Et quidem nunc maturius nunc serius accedit, saepius vitae infesta. Plerumque vero non solet cum impetu inchoari. Quare raucedo, quae scenam aperit, saepe praetermittitur a medicis, tum demum attentis, quum insolitus in tussiendo sonitus, respiratio sibila et dyspnoea continuo aucta de impedimento spirandi nullam dubitationem amplius admittunt. Nihilo magis tamen norunt huius rei causam, ut quam non tracheitidi tribuant sed repetant a corrupta et minutatim eiecta interna membrana tracheae opinantes albam membranam sive crustam, quae in oesophago saepius deprehenditur ad tracheam propagari.

Inter medicos Gallicos, qui prius de scarlatina maligna scripserunt, Navierius c) bene cognovit periculum, quod tracheitis cum scarlatina coniuncta affert. Putabat autem gangraenam usque ad tracheam extendi, qui error cadaverum explorationibus satis opinor infractus est. Sed inflammatione tracheam corripi dubitari nequit. Ceterum inter Francogalliae medicos praeter Pinelium d) nullus nobis innotuit, qui hoc morborum connubium accurate descripserit. Quem autem Pinelius curavit aegrotum, mortuus est.

Quodsi ita tracheitis scarlatinam comitatur mors repentina intra triginta sex saepe horas acceleratur, quantum ipse expertus sum. In his aegrotis vidi plerumque iam prius membranam pituitosam narium inflammatam, et labium superius atque alas nasi acri liquore ibi secreto corrosas. Glandulae sublinguales, submaxillares et parotides valde tumescunt. Puellis saepius ulcera gangraenosa in pudendis oriuntur, ad anum usque extensa ita ut nonnunquam perinaeum

c) Dissert. sur plusieurs maladies populaires etc. Paris 1753. pag. 212.

d) Vid. Eius Médecine clinique, pag. 220

et os sacrum cariosum destruantur. Quorum infantum cuidam in digitis magnae bullae epidermidis exsurgebant, similes pemphigo; et in locis a vesicatorio sauciis gangraena exorta. Tandem aeger surdus et coecus et anhelus continuis convulsionibus, licet levioribus extinctus est. Neque tamen tracheitis fidum et constans signum est scarlatinae malignae. Nam similia imo graviora illis quae modo narravi, etiam infantibus accidebant, laborantibus simplici scarlatina.

Quanquam vero, ut antea dixi haud felicem horum aegrotorum curam gessi; tamen infantem sanavi cuius status anceps spem multo deteriorem relinqueret. Nimirum ad parentum valde egenorum filiam trimulam accessitus, eam ex nonnullis diebus non sine difficultate nutrimenta deglutire potuisse et inde etiam maculas rubras in cute effloruisse audivi; nocte proxima puellam raucedine correptam a prima luce spirandi difficultatem cum angore sensisse. Puella parva erat et macra; exanthema rubri coloris passim prorumpebat. Pulsum arteriarum exilem et frequentem non potui numerare. Excitata e somno illico rursus obdormiebat. Respiratio erat sibila, gravis et operosa; sonitus in tussiendo editus asper et paululum strepitans; nihil autem eiiciebatur. Tonsillas parum tantummodo tumidas conspiciebam; altius inspicere non potui, reluctante puella. Haec spirandi difficultas usque ad alterum diem continuata, cum reliquis signis decrescebat, et paulo post de insperata puellae salute laetabar.

Quam alii viderunt tracheitidem absoluta iam scarlatina exortam, haec nobis nunquam obvia data.

Ceterum funestum tracheitidis cum morbillis et scarlatina connubium veteribus medicis bene cognitum erat, quantum e verbis Mortoni [e]) intelligitur.

e) l. c. cap. 3. pag. 13. De morbillis agens: „Non raro autem, inquit, hoc morbi sta-

Quod in puero febre urticaria correpto tracheitidem oriri observabam, id fortuito casui tribuendum esse videtur. Neque maioris momenti est Carronii [f]) observatio, qui illam in infante trimestri, quinto die post insitas variolas vaccinas viderit. Ille vero valde laetatur de salute huic infanti restituta, cuius mors iure veretur ne insitioni adscripta fuisset.

„dium ancipiti eventu ad decimum septimum vel vigesimum usque diem protensum observavi, „et anginam, ophthalmiam, vel peri-pneumoniam funestam inde subortas, inflammatis „prius ab efferato spirituum nisu glandulis in larynge, et pharynge, vel pulmone sitis, et „deinde exulceratis. Unde tussis ferina ac perpetua, deglutitio difficilis, dolor pectoris lan„cinans, anhelitus, strangulatio et suffocatio insequebantur, et indoles febris inflammatoria „manifestior evasit."

Et cap. 5. de febre scarlatina: „Ubi malignus est epidemicus (morbus), non raro „utriusque efflorescentiae apparatus ad sextum vel septimum diem protrahitur, et efforescen„tia usque ad decimum quartum et ultra durat, et interea glandulae oculorum, pharyngis, „laryngis et bronchiarum inflammantur, febris inflammatoria accenditur, deglutitio et respi„ratio laeditur, ceteraque anginae et peripneumoniae symptomata saepius ingravescunt."

f) Journal de médecine p. Sédillot, Tom. XXVIII. pag. 248.

6.

Y-a-t-il quelque rapport entre la fréquence de cette maladie, et les épidémies de rougeole, de scarlatine et coqueluche?

An ratio intercedit inter frequentiam tracheitidis, et luem rubeolarum, scarlatinae tussisque ferinae?

Morbus quidem noster non rarus est, imo quibusdam regionibus solemnis, ita ut saepius epidemice regnet. Neque tamen attingit numerum eorum, qui lue morbillorum scarlatinae et tussis convulsivae corripi solent. Nam hi morbi interdum per continuos annos regnant; tracheitis haud diu epidemica perstat. Illi contagione propagantur haec sponte nascitur. Cuius rei causa quaerenda est in aëris conditione nobis ignota, qua subito immutata lues extinguitur.

§. IV.

Mortalité rélative.

Ratio mortalitatis.

Quelle est la mortalité relative de cette maladie?

Quaenam est ratio mortalitatis quoad morbum nostrum?

Non miror si quis contendat, omnes hoc morbo correptos sanari posse a medicis. Sunt enim inter populares meos, qui medendi rationes commendant, minime fallaces, medico ad recentem morbum advocato. Et cuidam ex illis ne hoc quidem necessarium esse videtur, affirmanti aliquanto serius auxilium haud multum nocere. Sed subtilis auctor huius methodi considerate occultat, quid velit intelligi per illud aliquantum serius, permittens aliis signa invenire, quae indicent auxilium haud nimis sero allatum esse. Quam ob rem suadeo ut medicus ab aliquantum seriori isto auxilio sibi caveat, festinet illud potius iam a morbi primordiis, quantum possit.

Quodsi recte ad propositam quaestionem respondeamus multa consideranda sunt.

I. Et primum quidem stadium, in quo morbus versatur, magni momenti esse arbitror. Igitur laetior nobis arridet spes in morbi principio (quale intelligamus ante dixi) ad aegrotos advocatis. Etenim, ut de me pariter atque Olbersio glorier, nos e triginta aut certe viginti infantibus ne unum quidem amisimus. Huc refero etiam eos, quibus tracheitis cum magno suffocationis periculo incipiebat.

Quodsi vero complures dies a principio morbi praeterierunt, quodsi respiratio admodum difficilis est facta, haud integrum bonaeque fidei duxerim collegam, qui se inter quinquaginta tales aegrotos, ultra viginti quinque sanasse glorietur. Ipse quidem nonnullos restitui, quorum morbus fastigium ascenderat; quorum salutis vero etiam recuperatae ne minimam partem arrogaverim, etsi omnibus viribus aegroto prospexerim. Si vero medicus in principio morbi advocatur, aegroti salus si quae usquam datur, iure a medicis postulatur.

Quae cum ita se habeant, plerique aegroti moriuntur, opinor, quia advocatur medicus iusto serius i. e. morbo iam consummato. Neque certa medendi ratio constat, nec detegatur unquam, qua tales aegroti utique sanari possint. Quam ob rem iure Burtonius [a]) contendit, inter centum, quibus tracheitis consummata evenerit vix unum sanari.

II. Deinde consideranda est aegrotorum aetas. Et quanquam alium successum curationis non vidi, sive ad infantem lactentem in principio morbi advocarer, sive ad adultiorem: tamen provectus in illis morbus et periculosior et plerumque funestior. Etenim et ratio medendi (de qua infra dicam) arctis limitibus est circumscripta, et causae mortis frequentiores adesse solent.

III. Quod multum etiam ad augendum victimarum numerum confert, in tracheitide cum aliis morbis composita quaerendum. Quae, si simplex ingreditur, melioris naturae est. Sin autem cum exanthematibus coniungitur, malum. Nimirum variolis malignis vel scarlatinae typhosae adiuncta tracheitis, plurimos enecat. Minus periculum est, si scarlatinam febris synocha comitatur. De morbillis coniunctis cum tracheitide ipse nequeo iudicare, quia nullum infantem his morbis affectum perdidi. Alii vero minus felices erant, etsi optima ratione

a) Medical and physical Journal 1800. in versione huius libri germanica, pag. 303.

medendi uterentur. Igitur etiam haec morbi coniunctio haud sine magno vitae discrimine incedere videtur.

IV. Huc quoque pertinet varia coeli ratio. Nam maiorem copiam aegrotorum in aquilonaribus terris mori arbitror, quam in calidioribus; quod graviori in illis morbo, quales omnes ibi reperiuntur inflammationes tribuerim.

Hoc quodammodo probatur per indicem eorum, qui intra quatuor annorum spatium Londini tracheitide extincti sunt. Quos consignatos debemus operi classico Willanesii [b]) morbos recensenti qui regnarunt in illa urbe ab anno 1796 usque ad 1800. Ceterum non omnes ac singuli, quos tracheitis illo tempore sustulit, a Willanesio significati videntur.

1795.	a	22.	Decbr.	ad	1796.	22.	Mart.	3	
1796.	-	23.	Mart.	-	—	24.	May	6	
—	-	24.	May	-	—	26.	July	2	
—	-	27.	July	-	—	27.	Sept.	3	
—	-	28.	Sept.	-	—	27.	Dec.	8	22
1797.	-	26.	Jan.	-	1797.	26.	Febr.	0	
—	-	27.	Febr.	-	—	20.	Mart.	1	
—	-	20.	Apr.	-	—	20.	May	1	
—	-	23.	May	-	—	20.	Juny	2	
—	-	15.	Aug.	-	—	19.	Sept.	4	
—	-	19.	Sept.	-	—	17.	Oct.	2	
—	-	24.	Oct.	-	—	20.	Nov.	2	12
Anno	1798.		.	.	.	.	.		14
—	1799.		.	.	.	.	.		16
								Summa	64

b) Rapports on the diseases in London, particularly during the years 1796. 97. 98. 99. and 1800. By Robert Willans, 8. London 1801.

V. Non dubito, quin tracheitis autumno, hyeme et vere magis mortifera sit, quam aestate. Quo anni tempore unum modo amisi, cuius morbus ad summum gradum evectus erat.

VI. Tum etiam inflammatio tracheae in pueris periculosior in puellis levior esse solet, quoad ego expertus sum.

VII. Denique in adultis hominibus tracheitis minus lethalis est, quam in infantibus. In illis enim non tanta copia lymphae plasticae secernitur (quod supra commemoravi), et quae secreta est, facilius eiicitur larynge aliter formato. Neque spasmi arteriae asperae adultorum excitari solent. Sed celeberrimis auctoribus commentationis inscriptae: „Recueil des observations et des faits relatifs au „Croup (Parisiorum 1808.)“, etiam id quaerendum esse videtur in constituenda mortalitatis ratione, an aegroti aliquid eiecerint et an morbus continuus fuerit vel remissus? Illud mihi quidem nihil ad sanandum aegrotum conferre videtur. Nam interdum infantes qui parum aut nihil eiecerant, restitui expertus sum. Hoc autem prorsus praetermitto, quia ipse tracheitidem repetita et manifesta remissione nunquam destitutam vidi.

§. V.

Etat des organes.

Organorum status.

1.

Quelle est la nature de la concrétion muqueuse qui donne naissance à la fausse membrane qu'on observe après la mort, et qui forme les tuyaux, que l'on rend quelquefois pendant la vie?

Quaenam est natura concretionis mucosae, pseudomembranam producentis quam post mortem conspicimus, et fistulas quae interdum ab aegrotis eiiciuntur?

Ecce gravissimam mei libelli partem, quae nostri morbi naturam multis dubiam egregie illustrat.

Habitus infantum hoc morbo extinctorum externus idem est, qualem suffocatis hominibus proprium deprehendis. Facies enim est pallida, plus minusve livida. Saepius integra cutis, maxime tumida, hydrope extinctorum illi similis. Oculi truces eminent venae jugulares sanguine tument.

Errant qui contendunt nullam interdum materiem alienam in trachea reperiri; quam si accurate investigaveris, semper aliquid alieni continere videas. Sed accurata exploratione utique opus est, quoniam saepius et oculos fugit et minor eius copia secreta deprehenditur.

Quae quidem materia nonnullis scriptoribus et antiquiorum et recentiorum temporum nihil aliud esse videbatur quam pituita

vel lympha spissior, qualis etiam sanam tracheam tegere solet [a]). Atqui membrana pituitosa tracheae manifesto adfecta est, quaevis etiam de morbi natura sentias; ideoque humorem secernit, a lympha vera non solum spissitate et tenacitate, sed etiam chemicis rationibus diversum.

Sed dicat aliquis, chemiam nostram, quae saepe partes animales toto coelo diversas commutet et easdem esse doceat, tale discrimen ostendere non posse; quod ipse tamen satis demonstratum putaverim.

At vero caute procedendum est, nobis haec applicantibus ad aegrotorum curationem. Nam etsi inquisitiones chemicae de natura partium animalium certiores hodie sunt quam olim, tamen illa scientia in his rebus minus progressa est quam in reliquis. Et celeberrimus Fourcroyius iure dicit: „L'analyse des substances animales est „la partie de la chimie la plus difficile et la moins avancée.“ — Sed nolo his diutius immorari, quippe quae praeclare sint et copiose disputata a Michaëli [b]).

Verumtamen ut intelligatur quales errores ex opinionibus existant, Cooksonium commemoro, qui opinans illam materiam e pituita spissa constare, per evaporationem muci talem membranam produci posse affirmat [c]).

Sed non dubito quin illa materia per inflammatam tracheam secreta, coagulabilis lympha sit et fibrosa pars sanguinis, quas maxime compositas esse scimus ex albuminosa materia. Atque hoc

a) Des Essarts Mémoire sur le Croup, pag. 8.

b) l. c. pag. 54 sqq.

c) „Hanc sententiam confirmat periculum, quod feci, sequens. Mucus, statim ut ore „reiectus fuit, leni igne ad partium eius evaporationem aquosarum exponebatur; ubi crusta „tenax atque crassa, membranae iam descriptae omnino similis, erat formata.“ l. c. pag. 16.

testantur viri experientissimi Chaussierius, Dupnytrienus, et Pinelius, qui dicit aliquo loco [d]) de infante hoc morbo extincto et explorato: „Le larynx étoit beaucoup plus affecté, et toute sa surface „intérieure étoit recouverte de l'espéce de fausse membrane, ou „exsudation albumineuse, qui accompagne les inflammations inter- „nes." Quae cum ita se habeant, vehementer miror, doctissimos nuper medicos Francogallorum talem sententiam impugnasse.

Quod Cheynius [e]) contendit, collectionem illam albuminosam coniunctam esse cum pituita et materia, quae per pulmones semper educitur, id vereor ut possit probare, licet ipse hanc sententiam certis argumentis refutare nequeam. Vaughanius [f]), qui materiam illam in acido vitrioli et liquore kali caustici, nequaquam vero in aqua (in quo igitur errat Homius) solutu facilem invenit. Affusa aqua vidit praecipitari aliquas partes (a partial precipitation is performed). Si vero materiae illius solutioni in acido factae alcali additum erat, praecipitatio perfecta oriebatur. Ex his intelligi arbitratur Vaughanius hanc materiam non esse pituitam, sed lympham coagulabilem secretam per vasa tracheae sanguinem vehentia, qualem videmus secerni in aliis inflammationibus viscerum. Schwilguéius hanc materiam plasticam omnes albuminis coagulati virtutes prae se ferre vidit. Neque frigida nec fervida ea solvitur aqua, sed aqua kalina, et facilius quidem calore adiuvante. Calcinata vero praebet natron carbonicum (carbonate de soude) et calcem phosphoricam (phosphate de chaux). Materia

d) Médecine clinique, pag. 116.

e) „This puriform fluid I conceive to be a mixture of the lymphatic effusion of the „minute branches of the trachea, or the natural exhalation of the lungs and of mucus." l. c. Vol. II. pag. 75.

f) l. c. pag. 339.

pulti similis et glutinosa in filum duci potest easdemque virtutes aquae frigidae impertitur. Ceterum per calorem, acida et alcohol albida redditur et coagulatur. Atque tunc praecipue similis est membranae si discesseris a minori illius concretione [g]). Vellem ut hae aliaeque explorationes repeterentur quippe quae aliquid conferant ad constituendam illius materiae naturam.

Lympha plastica, cuius secretio quidem ab inflammatione pendet, sub inflammatione graviori parca tamen non nisi secerni videtur; quemadmodum in aliis etiam membranarum inflammationibus v. c. coniunctivae et urethrae. Si vero inflammatio imminui coepit, secretio oritur qua interdum illa prorsus deletur. Nihilominus tamen lympha plastica secerni pergit, donec paulatim membranae actio et secretio ad pristinum statum revertatur; cuius rei gravitatem pluribus etiam infra ostendam.

I. Locus cui secreta lympha adhaeret perquam varius est. Nunc enim totam tracheam ab epiglottide vel larynge usque ad bronchia occupat; nunc minorem ditionem obtinet. Infantibus repente hoc morbo extinctis, saepius solam cavitatem laryngis vel proxime adiunctam partem huius lymphae aliquantum continere deprehendimus. Aliis haec tantum in inferiore trachea et in bronchis colligitur. Nunquam autem solis bronchis circumscriptam eam vidi. Errant etiam Bardius, Michaëlis et Rechovius, qui illam

g) „En effet, elle (la concrétion membraneuse) est insoluble dans l'eau froide et „dans l'eau bouillante; mais elle se dissout dans les alkalis étendus d'eau, surtout par „l'intermède de la chaleur. Elle donne, par l'incineration du carbonate de soude et du „phosphate de chaux. — La matière pulpeuse est filante, visqueuse; elle communique „à l'eau froide la même propriété; elle blanchit et se coagule par la chaleur, les acides „et l'alcohol. Elle ressemble alors parfaitement à la cauche membraniforme, dont elle ne „paroit différer, que par un moindre degré de concrétion. "

lympham ad pharyngem, linguam, oesophagum et ventriculum extendi contendant.

Quodsi tracheitis exanthematicis morbis adiungitur v. c. scarlatinae malignae sive typhosae, sunt quidem nonnullae partes, quas modo commemoravimus, albis membranulis vel crustis tectae; quae tamen a natura lymphae plasticae admodum abhorrent.

II. Varia est densitas huius lymphae. Nonnunquam haec per totam tracheam tenuis est, et in tractu eius aeque atque in bronchis spumosa. Nimirum incisa trachea bullae sive vesiculae aëreae prodeunt. Igitur Heimius Berolinensis iniuria reprehendit Stieglitzium, qui observans illam varietatem, interdum plane nihil membranosi secretum esse contendit [h]).

Etiamsi vero lympha plastica in larynge secreta rarius spissa est, tamen nonnunquam membranae ad instar internum laryngem obducit extensa etiam ad eius ventriculos. Unde facile, opinor, intelligitur hac membrana etsi tenuissima, infantibus angusta glottide instructis suffocationem adduci aut promoveri posse, obturanda quidem trachea. In aliis particulae membranaceae e lympha plastica formantur interiori quoque epiglottidi adhaerentes. In ipsa trachea partem fibrosam sanguinis quae pertinet ad constituendam lympham plasticam, plerumque firmiorem invenimus et varia ratione formatam; unde nomina nonnulla morbi nostri repetita sunt. Interdum enim membranacea est cylindrum cavum formans, qui extensus per canalem tracheae, cui suam figuram debet, hic vel illic crassior est. Ceterum haec membrana tracheae plus minusve adhaeret, ita ut a tunica pituitosa arteriae asperae facile separari possit. Plerum-

h) Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlungsart des Scharlachfiebers von Stieglitz. Hannov. 1807. pag. 27. 28.

que enim a membrana pituitosa disiungitur albo quodam humore nunc claro nunc turbulento, cui saepe prorsus innatat.

Cuius quidem membranae crassities similis est chartae maiori; neque tamen certo describi potest. Equidem fere omnibus illam membranam in posteriore parte tracheae crassiorem vidi. Soemmeringius contra idem in anteriore trachea observavit. In universum vero superior pars membranae crassior invenitur, etsi contrarium Salomon et Rechovius videre [i]). Saepius etiam externum latus illius membranae striis notatum est, Salomone et Baeckio testantibus. Quod arbitror et in tabulis Baillii accurate depictum esse et pictura a me adiecta bene illustrari. In latere interiore eoque concavo Baeckius [k]) partes quasdam lineis circumscriptas vidit, quales fere in epidermide volarum conspiciuntur.

Bayleius [l]), Formeius [m]) aliique arbitrantur lympham coagulabilem densari per aëris accessum tracheaeque ipsi adfixam, membranam simulare. Quod Bussierius [n]) et Portalius [o]) etiam de polyposis concretionibus statuunt, quae a phthisicis hominibus eiiciuntur. Sed nescio an aër multum conferat ad consoliditationem lymphae plasticae. Imo vero arbitror hoc pendere a ratione inflammatorum vasorum sanguinem vehentium, quippe quae in aliis solidiorem, in aliis tenuiorem lympham plasticam secernant, veluti in peritonitide puerperarum. Deinde has cylindricas membranas, saepe admodum firmas, etiam in aliis partibus corporis deprehendimus, bene defensis ab aëris accessu, uti in canali intestinorum, ubi vel chronica inflammatio, vel

i) l. c. pag. 5.
k) l. c. pag. 342.
l) l. c. pag. 15.
m) l. c. pag. 366.
n) l. c. pag. 232.
o) Von der Lungenschwindsucht, Vol. I. pag. 179.

alia membranae pituitosae incommoda praecesserunt [p]). Ipse aliquot eiusmodi exempla asservo, quae formam intestini habent. Sed maxime doctissimi Portalii de hac re commentationem desidero, quam museo nationis Francogallicae misit.

Praeter hanc formam, quam antea dixi errori de eiectione membranae interioris tracheae occasionem dedisse [q]), lympha plastica etiam valvulas formasse dicitur, quae in respirando tracheam nunc aperiant nunc claudant et tandem suffocationem adducant; cuius exempla Vogelius [r]), Autenriethius [s]) et Vaughanius [t]) afferunt. Sed vereor, ne haec opinio auctores suos illuserit, neve talis suffocatio demonstratu difficillima sit.

Denique hanc lympham videmus formam polypi, quem vocant, praebere, cuius exemplar ipse asservo. Solent tales polypi a cartilagine cricoidea usque ad divisionem tracheae, quam bifurcationem appellant, extendi. Nonnunquam vero tenuior lympha etiam in reliqua trachea et in bronchiis reperitur. Et plerumque polypi in posteriori parte tracheae quae membranosa est, haerent. Quare videntur maxime in hac parte vasa sanguinem vehentia affecta esse et huic secretioni favere. Quod etiam arbitror intelligi per exemplum modo commemoratum, ubi polypus posteriori parti tracheae similiter adhaerebat. Crassities polyporum admodum varia, sed nunquam tanta est ut integra trachea referciatur. Igitur suffocatio non inde solum adducitur, sed etiam tenuiori

p) Murray in Comment. Goetting. Vol. IV. pag. 45. Goede praeside Reil in dissert. pathologiam dysenteriae continente, Halae 1795. pag. 48.

q) Engström et Wilcke. Vid. Michaëlis l. c. pag. 268. et p. 48. Aurivillius l. c. pag. 359. Selle pyretologia in vernaculum conversa ab Hopff, pag. 120.

r) l. c. pag. 120.

s) l. c. pag. 83.

t) l. c. pag. 379.

lympha, quae polypum circumluit. Postremo materia fibrosa in grumos maiores vel minores colligitur [u]) innatantes coagulabili lymphae, quae in variolis varium colorem habet.

Inter delineationes vel tabulas lympham plasticam in solida, polyposa aut cylindrica forma exhibentes, optimae sunt editae a Baillio [v]) et Cheynio [w]). Equidem hanc materiam in bronchis plerumque liquidam reperi et rarius solidam et cylindriformem, aut polyposam. Sed formam polyposam ibi observarunt Mahonius [x]), Rechovius [y]) et Cheynius [z]), qui ait: „And I have actually seen the „membrane regularly formed in branches not a line in diameter, „which proves that inflammation had subsisted as violently in these „branches as it usually does in the larynx" [a]). Egregie secunda sua tabula hanc lympham plasticam in alterum bronchum propagatam depinxit. Deinde Starrius Fig. secunda exemplum delineavit quo studet demonstrare materiam plasticam in bronchis iam per longius temporis spatium coaluisse. Tabula secunda, quam naturam secutus huic libello addidi, manifesto docet, lympham plasticam et solidam quidem in bronchum sinistrum extendi. Townsendius [b]) exemplum in museo Hunteriano asservatum lymphae plasticae laudat, quae in ipsis bronchis solidam et cylindricam formam retinuit. Neque satis in-

u) Pinel médecine clinique, pag. 221.

v) Engravings Fascicle II. Plate 2.

w) l. c. Plate I. II. III. IV. et V. — Tabula III. inflammationem arteriae asperae fidelissime reddit, et minime eandem exaggerat.

x) l. c. pag. 208.

y) l. c. pag. 5.

z) l. c. Vol. I. pag. 69.

a) Volum. II. pag. 73.

b) Anweisung zu einer nach Cullens Nosologie eingerichteten medicinischen Praxis, Vol. I. pag. 104.

telligo, cur Baillius de anatomia meritissimus, qui musei illius Hunteriani in edendis tabulis anatomicis, egregiis quidem, fructus perceperit, hoc exemplum omiserit. Nec verborum istorum c): „It „extends (the coagulable lymph) in Croup into the branches of „the trachea; but this appearance cannot be preserved in a prepa„ration to any minutenefs without great difficulty" mentem intelligo.

Plerumque grumos vel ramulos e materia fibrosa in bronchis formatos detegebam, prae primis si lympha coagulabilis aquosior esset. Cuius rei causa videtur partim in eo niti, quod permeans aër lympham plasticam hic non ita spissam reddere possit; partim quod vasa sanguinem vehentia in bronchis aliter sint affecta, quam in reliqua trachea. Ceterum etiam verosimile est, glandulas hic affectas, quae differunt a structura glandularum in reliqua parte tracheae d), aliquid huc conferre; si quidem in universum glandulae inflammatae ad lympham plasticam in trachea secernendam aliquid faciunt. Sed utcunque hoc fiat, in curando ipsos aegrotos, maximi, uti deinde ostendam, haec res momenti est.

Interdum lympham coagulabilem in trachea et bronchis fere aqua liquidiorem deprehendimus et plus minusve flavo aut rubro colore tinctam, innatantibus simul grumis albis aut fuscis, quae e fibrosa parte sanguinis nascuntur. Reilius hoc tantum vidit in infantibus, qui per variolas extincti erant; quod ego praeterea etiam infanti accidisse scio, qui ex typho convalescens, tracheitidem vociferando nactus esset. Huic tanta copia illius liquoris et praecipue quidem in bronchos effusa erat, ut sub veri pulmonum hydropis specie inipsam fantis mortem adduxisset. Idem nuper clarius etiam nobis in

c) Engravings, pag. 29.

d) Boerhave de fabrica glandularum in corpore humano, Lugduni Batav. 1772. in 4to. pag. 10.

infante oblatum, quem experientissimus D'Oleirius duodecim horis ante mortem illius advocatus, mecum dissecaret. Reclinato enim capite infantis, ut colli cutem incideremus, magna copia lymphae rubicundae e naribus effluebat. Et nihilominus postea tracheam ipsam dissecantes, tantam copiam eiusdem lymphae ibi collectam invenimus, quam trachea et bronchi vix continere potuisse viderentur. Quod eo magis miror, quum simul polypus e solidiori parte lymphae plasticae in trachea natus, nec parum lymphae coagulabilis tenuioris in bronchis repertum.

Verumtamen talem liquorem non in omnibus lympha coagulabilis refert. Saepius enim admixtam videmus aquam, quae impedita respiratione in pulmonibus producitur, et quae a Salomone [e]) iam lympha coagulabilis tenuior dicta, alios auctores minus attento latuisse videtur.

III. Quod ad colorem lymphae plasticae attinet, subflavus ille, nunc pallido-viridis, nunc albus; nunc vel lucida ipsa, nec raro cruenta, hinc vario tincta colore comparet. Sed nunquam vasa sanguinea detexi, quae per errorem aliis comparuere.

Quodsi tracheitis coniuncta est cum variolis, saepius ille liquor nigrum aut fuscum colorem habet. Verumtamen Homius [f]) aliquando vidit in sola tracheitide membranam nigram. Nonnulli albo colore decepti solam existimabant pituitam esse secretam. Quae concludendi ratio ne magis nos offendat, quam opinio eorum, qui lympham coagulabilem, collectam in abdomine puerperae peritonitide extinctae, lac esse putant, albo nimirum colore decepti. Chemia hunc errorem iam diu infregit. Illius lymphae color saepe in trachea et bronchis etiam differt, illic flavus aut viridis, hic albus.

e) l. c. pag. 331. 333.

f) l. c. pag. 30.

2.

Num possumus similia in animalibus arte producere, imitando naturae rationes et causas, quae illam concretionem in tracheitide gignunt? Et quaenam phaenomena nobis ita experimentantibus offeruutur?

A part les causes naturelles qui déterminent cette concrétion dans le Croup, l'art a-t-il des moyens de produire un effet semblable sur les animaux vivans? Et quels sont les phénomènes, qui se manifestent pendant les expériences qui y donnent lieu?

Quantum ego de tracheitide censeo, quaestio illa affirmanda est. Neque enim alia ars requiritur, quam inflammatione excitata lymphae plasticae secretionem prômovendi. Ut libere profitear quid sentiam, invitus experimenta in animalibus vivis feci, deterritus ab hoc labore similibus experimentis, quae olim institui de respiratione animalium. Sed iudices mei haec postularunt. Quibus periculis carere potuimus quum adsint exempla hominum quibus corpus alienum tracheam irritaret forte illatum.

Nam perspicue inde probatur non modo inflammationem, sed etiam secretionem lymphae coagulabilis hac ratione oriri. Illud Balfourius [a]), hoc Caronus [b]) ostenderunt.

Ceterum nonnunquam signa respirationis ita impeditae iis, quae de tracheitide recensuimus, simillima esse dicuntur a Ludovico [c]), Mar-

a) Vid. Home, l. c. pag. 49.

b) Valde doleo auctorem per exemplum, sane magni ponderis quod descripsit, in falsas rationes et consilia induci, quae nemini salutaria sint.

c) Mémoires de l'académie royale de chirurgie, Tom. XII. pag. 201 sq.

tinierio [d]), Lescurio [e]), Richalto [f]), Carono [g]), Wainrighto [h]) aliisque et antiquioribus et recentioribus medicis, quibus omnino confido etsi ipse talia exempla non viderim. Quam ob rem excusandus esse videtur medicus, qui advocatus ad infantem, cui res aliena in tracheam incidit, tracheitidem adesse putet, quam sua arte impugnet. Neque vero arbitror omnia et singula signa cum tracheitide convenire, tametsi illorum hominum et vita et dissectio nonnulla signa exhibeant, admodum similia illis in tracheitide conspicuis. Certe nescio an ullo exemplo vere edocti simus, inflammationem et lympham plasticam his aeque atque in tracheitide affectis infantibus a larynge ad ima bronchia extensam fuisse. Potius utramque tantum in larynge vel trachea haerere existimo; quare laryngotomia et tracheotomia usum ferre solent. Accedit, quod tales res alienae, commemoratas illas concretiones lymphae plasticae, multum conferentes sua forma ad suffocationem aegroti, impediunt, quo minus ascendant aut descendant inter respirationem.

Quamobrem non poterit Caronius unum exemplum afferre, quo corpora aliena tracheae vel animalis vel hominis immissa omnia signa, quae tracheitidi propria esse dixi, produxisse probet. Quod si fecerit, sententiam meam deinde prolatam de tracheotomia, quam ille summis effert laudibus, retractabo.

Nunc referam eas artes, quibus studui tracheitidem eiusque phaenomena in animalibus producere.

d) Ibidem Tom. XIV. pag. 421 sq.

e) Ibidem pag. 427 sq.

f) Oeuvres de Desault par Bichat, Tom. II. pag. 236 sq.

g) l. c. pag. 18 sq.

h) Medical and physical Journal 1800. Month April. In versione huius operis germanica pag. 275 sqq.

Experimenta.

I. Aperiebam hoeduli tracheam, incidendo quatuor cartilagines sive annulos non procul a cartilagine cricoidea. Tum internae tracheae saepius spiritu vini rectificato irroratae vulnus per suturam claudebam, quod etiam in omnibus deinde commemoratis feci. Animal illico raucum sonum edebat, frequenter sternutabat et tussiebat. Sed vegetum et nunc et postea erat, neque aliquo modo perturbatum. Disparebat etiam raucedo postridie prima luce, ita ut hoedus consueto more balaret.

II. Similia accidebant feli catulae, cuius tracheae infra circoideam cartilaginem dissectae oleum terebinthinae saepius immiseram. Altero die prorsus restituta erat.

III. Praeterlapsis quatuor hebdomadibus eidem feli tracheam iterum aperiens hydrargyrum oxydatum rubrum cum oleo terebinthinae mixtum interne adlinebam. Ab initio res eadem ratione procedebant. Sed proxima luce raucedine continuata, animal valde aegrotans, nec edebat nec bibebat aliquid praeter lactis exiguam copiam. Post meridiem respiratio subinde operosior et lentior ad vesperam usque increscebat; nam et musculi abdominis vehementer moti et sonus sibilans, quem felis in respirando ederet ex intervallo auditus. Sequente luce respiratio admodum difficilis est et fere solis musculis abdominalibus perficitur. Felis continuo sedens non decumbit. Ad vesperam nihil mutatur, excepto sonitu sibilo, qui fortior auditur. Per totum diem felis nihil edit. Proxima luce mortua est. Aperta posteriori parte tracheae cylindrum e lympha plastica inveni, subviridem atque extensum a cartilagine cricoidea in bronchos usque. Membrana pituitosa tracheae inflammata erat inprimis eo loco quo vulnus feceramus. Bronchia sana erant.

IV. Hoedo, quem primo loco commemoravi, quatuor annulos arteriae asperae secabam, eosque saepius oleo terebinthinae et hydrargyro oxydato rubro humectabam. Eandem solutionem penicelli ope reliquae tracheae immittebam. Quo facto, hoedus magna raucedine affectus est et vocem fere perdidit, immunis tamen ab anhelitu aliisque incommodis; et vox altera die bene restituta.

V. Post elapsum mensem eiusdem hoedi tracheae sectae drachmam dimidiam hydrargyri oxydati rubri immittebam pennae ope. Ad vesperam et per diem sequentem tussi frequenti et raucedine quadam vexatur. Ceterum valet. Tertio die etiam illa incommoda evanescunt.

VI. Nunc capri cute aliquantum incisa, particulam tracheae acu triquetra (Troicar) perforabam desuper obliqua ratione. Deinde per fistulam, quae acum vaginae ad instar cingit, fortem solutionem hydrargyri muriatici corrosivi infundebam. Animal non illico inde afficiebatur, praeter raucedinem et tussin quae mox cessarent. Sed post tres horas saepe balabat et voce quidem rauca. Proxima luce caprum mortuum inveni, ut qui experimentum exeunte die instituissem. Membranam pituitosam tracheae ab epiglottide usque ad minima bronchia valde inflammatam vidi. Ramuli vasorum sanguinem vehentium perspicui erant veluti fluido quodam artificiali inflati. Lympha plastica subviridis ubique secreta erat, non cohaerens cum superiore parte tracheae. Sed a media trachea quasi funiculum continuum huius lymphae inveni, extensum illum per maiora bronchia; nam paulatim lympha in bronchiis minoribus et minimis tenuior et liquidior conspecta. Praeterea trachea lympham tenuem spumosam et subviridem continebat, confestim effluentem ex ea incisa. Pulmones rubro colore notati erant neque inflammatione destituti. Abdomen aëre valde inflatum. Ceterum caper per solum spirandi impedimentum

non extinctus esse videtur. Scimus enim hydrargyrum muriaticum corrosivum naturae animali multum nocere.

VII. Secabam fere quinque annulos tracheae in fele catulo. Immisso argento nitrico fuso eadem signa vidi, quae de alio fele supra narravi. Cadaveris explorati dimidiam tracheam lympha plastica repletam inveni, quae non cylindri formam exprimebat, sed corpus quoddam deforme aëris accessum haud impediens. Sed haec lympha tracheae firmius adhaerebat, quam cylindrus quem supra descripsi. Neque inflammatus erat larynx nec bronchi nec pulmones, tantum in trachea hic et illic inflammationis vestigia deprehendenda.

VIII. Ad sequentia experimenta me Le Royii et Pallonii auctoritas et exempla de potentia vaporis acidi muriatici oxygenati in organa respirationis provocavere.

Igitur primum ori illius hoedi, de quo in primo quarto et quinto loco dixi, alte immittebam ostium lagenae magnae acido muriatico oxygenato repletae. Deinde hoedum cogebam spiritum ducere obturando nares. Unoquoque spiritus ductu ille ita convellebatur ut a compluribus hominibus teneri non posset. Tum in parvo stabulo hoedum includebam, evolvens istos vapores per integram horam, miscendo manganesium, sodum muriaticum et acidum sulphuricum. Sed postea tantum raucedine aliqua correptus est, quae ipsa ad vesperam cessabat.

IX. Ori canis mediae magnitudinis immittebam fistulam quae fixa erat in vesica bubula gas muriatico oxygenato referta. Fistula vero epistomium habebat quo posset nunc claudi nunc aperiri. Iam aperta fistula gas expellebam comprimendo vesicam. Confestim canis admodum convellebatur ita ut non nisi per intervalla aërem hac ratione immittere possemus. Tunc canis a vinculis liber cir-

cumcursabat, aliquoties tussiebat raucedine aliqua correptus. Ceterum bene valebat [i]).

X. Quam ob rem huic cani nonnullos annulos tracheae secabam. Deinde compagis galuanicae fortioris compositae e centum et quinquaginta tabulis rotundis, quarum singula quatuor digitos quadratos aequabat, polum positivum arteriae asperae immittebam. Negativus polus ad posteriores pedes canis, immersos vasi aquam salsam continenti, affigebatur. Clausa catena canis correptus ingenti convulsione, spumam ore urinamque cum stercore emittebat.

Quo facto tranquillior reddebatur, etsi per horam dimidiam catena clausa erat. Tum remota compage galvanica, vulnus tracheae inflictum consuebatur. Sed ego neque nunc nec postea arteriam asperam mutatam vidi per galvanicam vim, quantum exspectassem. Nam docent alia exempla citissime per galvanicam actionem, illaesam cutem inflammari.

Quanquam his exemplis nec mihi nec meis iudicibus eruditis satisfiet; tamen haece decreta inde confirmari videntur:

I. Possunt quidem nonnulla signa tracheitidis in animalibus arte produci. Sed non omnia, sive respicias partem affectam sive effectum, qui tracheae functione turbata in reliquum corpus redundat. Neque illud valde mirum est, quum illius organi fabrica in hominibus et animalibus admodum sit diversa.

i) Profecto hoc experimentum, cuius exitus (sicut subsequens illud) nostram fefellit opinionem repeteremus; nisi huius aëris haustus, qui evitari nequit, pectori nostro iam aliquoties affecto et incommodus et noxius esset.

II. Vera est mea et aliorum sententia de natura tracheitidis inflammatoria. Igitur secretio lymphae plasticae gignitur inflammatione membranae pituitosae tracheae.

III. Requiruntur satis fortes stimuli ad excitandam animalibus tracheitidem. Sed inde non concludendum, hos minori atque homines gaudere irritabilitate. Nescimus enim an facilioribus artibus tracheitis hominibus producatur.

IV. Denique mors non omnibus a mechanico spirandi impedimento (lympham plasticam intelligo) in larynge vel trachea latente consciscitur. Quod inprimis septimo docetur exemplo.

3.

Dans quel état se trouve, sous cette concrétion, la membrane muqueuse propre de la trachée et des bronches?

Qualis est ratio membranae pituitosae tracheae et bronchorum, sub hac concretione?

Plerumque membrana pituitosa tracheae plus minusve inflammata est. Quae inflammatio deprehenditur vel per integram tracheam propagata, vel hic et illic sparsa. Nunquam inflammatio prorsus deerat, et interdum membrana pituitosa alto rubore notata. Igitur vehementer miror nonnullos medicos negare se inflammationem in cadaveribus unquam invenisse. Sed consulto, opinor, hoc negant; quo nimirum suam sententiam de catarrhali natura tracheitidis stabiliant.

Praeterea hanc inflammationem viderunt Homius, Salomon, Bayleius, Ballius, Reilius, Fieldius, Fürstenavius, Cheynius, Heberdenus [a]); quorum auctoritas abunde demonstrat, signa inflammationis non fortuita adesse, sed pertinere ad naturam morbi. Soemmeringius, qui etiam in tracheitide arteriam asperam inflammatam animadvertit, permisit mihi ut publice suo nomine uterer.

Ceterum quanquam ipse in omnibus cadaveribus exploratis tracheae membranam pituitosam plus minusve inflammatam deprehendi; non infitior tamen eam non semper talem observatam esse; quantum nonnulli eorum scriptorum quos modo nominavi, et alii [b]) etiam testantur. Quid vero? num haec probant eam antea defuisse? Non aliter peritonitis puerperarum saepe magnam copiam lymphae plasticae et exigua inflammationis vestigia praebet; aut ut alii malunt nulla. Quod posterius constanter nego, quia et in nostra urbe et Vindobonae in domo parturientium, cui Boerius praeest, omnia cadavera quae exploravi (quorum haud exiguus numerus fuit) inflammatione graviori vel leviori correpta esse vidi. Similiter ingens copia lymphae coagulabilis inflammato pericardio secernitur. At vero post mortem levem conspicimus inflammationem; quod etiam testatur experientissimus Corvisartus [c]) Imperatoris Francogallorum medicus, in erudito libro de morbis cordis. In aliis etiam morbis, ecce quoties post mortem omnia signa inflammationis desint ante eam non dubia? et cui exanthematum quorundam exempla hic non obversentur?

Sed ponamus interdum desiderari inflammationem. Num haec

a) In epitome of the diseases incident to children, pag. 73.

b) Engströmius et Halenius: Vid. Michaëlis, l. c. pag. 272. Mahon, histoire de la Societé royale de médecine, pag. 203 et 288. Des Essarts Moniteur Janvier 25. 1809.

c) In Essay sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux, publié par Horeau, à Paris 1806.

antea deerat quia post mortem deest? Nimirum scimus secreta lympha plastica inflammationem imminui, imo forsan prorsus extingui; et quidem eo citius, quo copiosior illa secretio est.

Aliud nec leve argumentum, quod inflammationem conspectui subtrahit, est positum in concretione lymphae plasticae cum ipsa membrana tracheae. Nam hoc integumentum quod veli instar tracheam tegit, inflammatae membranae pituitosae vestigia velat, quod ipse Soemmeringius expertus est. Quidni igitur illa facile minus attentos fugere possint? Neque vero destituimur via, qua talem errorem detegamus. Si enim tracheam, quanta porrigitur, secatam, in spiritum vini misimus, lympha plastica induratur. Quo facto cultrum prudenter adhibentes, eam a tracheae membrana separare possumus.

Inflammatio, quae plerumque a larynge ortum ducit, rarius ab epiglottide usque ad bronchia continuatur, quantum egomet ipse et Cheynius [d]) observarunt. Nec vera effatus esse videtur Homius [e]) dum glottidem nunquam inflammari contenderit. Nam Fieldius [f]), etiam Pinelius [g]), Michaëlis [h]) aliique, plura exempla adferunt, quae contrarium demonstrant. Praeterea si tracheitidi variolae supervenerunt, conspicimus tracheam et oesophagum inflammatione correptos, unde arbitror intelligi, tam glottidem quam epiglottidem inflammatas fuisse. Nonnullis trachea hic et illic tantum inflammata est; tametsi lympha plastica per integram tracheam deprehendatur. In aliis vero inflammatio ea loca obtinet, quae sunt lympha

d) l. c. Vol. I. pag. 59. 60.

e) l. c. pag. 35.

f) l. c. Vol. IV. pag. 147.

g) Médecine clinique, pag. 220.

h) In Richters chirurg. Bibliothek, Vol. V. pag 743.

plastica tecta. Interdum inflammatio admodum conspicua est, ita ut membrana pituitosa, inprimis tracheae ipsius, valde rubeat et vasa minora tortuosa egregie ante oculos ponat. Similiter glandulae muciparae in trachea ipsa velut puncta rubra apparent. Verumtamen hoc in bronchis non ita manifesto conspicitur.

Tumorem membranae pituitosae in tracheitide, qui locum habere solet, non ita multum inveni. Igitur nescio an recte Michaëlis [i]) epiglottidem inflammatam ter superare dicat volumen, quod in statu sano habet. Rem memoratu dignam experientissimus Olbersius hoc ipso vere vidit. Nimirum infantem curabat, quem epiglottidis tumor impediebat, quo minus rimam glottidis clauderet. Quo fiebat, ut ea quae infans consumserat et ipse potus in tracheam pervenirent, et gravissimam tussin excitarent. Vetterus [k]) refert, se in tracheitide morbillis vel scarlatinae vel miliari febri adiuncta, internam membranam arteriae asperae ubique plus minusve tumidam vidisse.

4.

Jusqu' où s' étend, dans les voies aériennes, l' altération propre à cette maladie?

Quousque organorum respirationis immutatio, propria quidem huic morbo extenditur?

Fines quibus tracheitis in organis respirationis arceatur, vix accurate constitui possunt. Saepius inflammationem in bronchis, quoad cartilagines habent, distinctam deprehendimus. Sed an ulterius abeat

i) In Richters chirurg. Bibliothek, Vol. VI. pag. 119.

k) Aphorismen aus der pathologischen Anatomie, Wien 1803. §. 131.

definiri nequit, propter explorationis difficultatem et incertas conditiones. Attamen bronchia, ut arbitror, quae diametrum unius lineae habent, ab inflammatione libera sunt. Ergo hoc loco morbus terminatur. Neque credo hanc inflammationem frequenter usque ad pulmonum cellulas (quales olim vocabant) extendi. Quam ob rem dubito quin vera sit Chambonii *) sententia, qui in his cellulis materiam maxime secerni putaret.

5.

Peut-on distinguer l'altération qui le constitue (le croup), de celles qui sont dans les poumons l'effet de la maladie ou la conséquence de la mort?

Num potest distingui immutatio designans tracheitidem, ab ea, quae in pulmonibus vel ipso morbo vel morte producitur?

Nonnulli viderunt substantiam pulmonum (spongiosa dicitur sive parenchyma), quam Soemmeringius et Reisseisenius e ramulis tracheae componi demonstrarunt, materia purulenta impletam, quae compressis pulmonibus effluxerat. At ego hoc nunquam vidi; reperiens cum Portalio [a]) pulmones sanos, certe in simplici tracheitide quae aliis morbis adiuncta non esset. In variolis quidem pulmones inflammatos vidi, sed gangraenam quam Harlesius [b]) observavit, non inveni. Infantibus per variolas extinctis, pulmones saepissime inflammati sunt; qui aeque atque ipsa tracheitis mortem adducere possunt.

*) Histoire de la Societé de Médecine, Anni 1782. 1783. in vernac. conversa in sämmtl. auserlesen. Abhandl. für prakt. Ärzte, Vol. XV. pag. 543.

a) Von der Lungenschwindsucht, Vol. I. pag. 178.

b) Hufelands Journal für prakt. Heilkunde, Vol. VI. Sect. 3. pag. 579.

Hoc (etsi non distincte vidi), in morbillis etiam nonnunquam accidere arbitror, quippe qui saepe coniuncti sint cum inflammatione pulmonum. In scarlatina extinctis nunquam reperi pulmones inflammatos; neque enim solet pneumonia scarlatinae adiungi.

Qui ex sola tracheitide sunt mortui, in iis pulmonum margo posterior rubere solet. Unde ille nonnullorum error natus, pulmones fuisse inflammatos. Nimirum sanguis si corpus supinum iacet, sponte eo descendit. Periti anatomiae viri hoc centies monuerunt. Sed nihilo magis in cadaveribus explorandis saepissime inflammationem pulmonum deprehendisse sibi videntur, quae in vita vere non adfuit. Quám ob rem valde dubito de Ghisii exemplo [c]), qui refert se pulmones admodum inflammatos et adhaerentes vidisse. Neque vero affert ullum signum, quod de inflammatione praegressa nos cogitare patiatur. Et quod ad cohaesionem attinet, videtur haec pneumoniae pristinae tribuenda esse. Nonnunquam pulmones hic et illic, inprimis autem ad anteriorem atque inferiorem marginem, albam et spumosam speciem habent. De quo non dubito, quin minimis bronchiis, quae magno nisu in respirando rumpuntur, et aëri exeunti tribuendum sit. Perinde aër ita emissus exit in telam cellulosam, quae bronchia et vasa in pulmonibus coniungit.

Aliis, quod raro fit, per impeditam respirationem aqua in cavo thoracis colligitur, nunc utrumque saccum pleurae, nunc unum modo replens. Ita Salomon [d]) vidit aquae congium in altera pleura collectum. Sed saepissime in explorandis cadaveribus reperitur pericardium magna copia aquae plenum.

Equidem cor nunquam vidi pallidum et flaccidum quale Für-

c) l. c. pag. 13.

d) l. c. pag. 333.

stenavius [e]) et alii descripserunt. Neque cava cordis arbitror unquam sanguine caruisse, quum circuitus sanguinis difficilis quidem sit, sed nequaquam impeditus. E contrario, uti Cheynius [f]) auriculam dextram cordis et venam cavam superiorem sanguine plenam vidi. Similiter venae iugulares externae et internae, atque thyreoideae saepe sanguine tument. Praeterea in recessibus cordis sanguinis concretiones polyporum ad instar reperiuntur; quales etiam nuper in arteria pulmonali et aorta vidi. Sed nescio an illae vere ante mortem nascantur. Igitur nequeo Harlesio [g]) adsentiri, qui praecipuam causam morbi celeriter aucti et repentinae mortis in iis ponat.

Ceterum organa abdominis nunquam nec ego manifesto adfecta vidi, nec Mahonius [h]). Quamobrem ea, quae Harlesius et Autenriethius de illis observarunt fortuito accidisse arbitror.

Denique nescio an praeter Rechovium et Beauchesneium aliquis cerebrum indagaverit. Viderunt illi venas in cerebro sanguine nigro plenas, et fossas occipitales exigua copia lymphae impletas. Rechovius etiam supra corpus callosum aliquantum lymphae conspexit.

e) l. c. pag. 7.

f) l. c. Vol. I. pag. 36. Vide et tabulam IV.

g) l. c. pag. 584.

h) „Touts les viscères du bas - ventre se sont trouvés en très bon état". Mahon in histoire de la Societé Royale de Médecine, an. 1777 et 1778. pag. 208.

§. VI.

Traitement.

Curatio tracheitidis.

1.

Quel traitement est le plus convenable dans cette maladie?

Quaenam ratio medendi huic morbo plurimum convenit?

Quanquam noster morbus inflammatoriis adnumerandus est, uti abunde demonstravi, ideoque medico studendum ut inflammationem tollat: tamen ea remedia quibus reliquas inflammationes aggredi solemus, hic ad restituendam salutem non sufficiunt. Ideoque errant, qui tracheitidem usitatis his remediis, quae antiphlogistica vocant (acida, salia media, venae sectionem et alia intelligo), impugnare velint. Felicior successus iis continget, qui medicamentis deinde a me eommemoratis utuntur. Quorum quidem virtus in curanda inflammatione membranae pituitosae tracheae multis exemplis et mihi et doctissimo Olbersio est probata, ita ut hanc viam nunquam simus relicturi. Sed tracheitis satis gravia remedia postulat etsi ipsa saepe non ita gravis est. Nam curandum est, ut quantocius et inflammatio ipsa removeatur, et partes affectae ita immutentur, ut lymphae plasticae secretio in illis decrescat vel prorsus cesset.

Deinde huius inflammationis natura sive character accurate indagandus est. Neque enim hic ubique idem remedium prodest, sicut in aliis inflammationibus. Unde nata videtur, saltem ex

parte, dissensio medicorum, qui remedia, ab aliis in coelum laudibus elata, nullius virtutis esse, imo nocere contendunt. Qui igitur a solis emeticis, vel sanguinis detractione, vel hydrargyro salutem exspectant, ii, vereor ne decipiantur. Praeterea videndum est an tracheitis sola incedat, vel coniuncta cum morbis exanthematicis; quod in curationem eligendam summi momenti est.

Tum inprimis spasmi tracheae ratio habeatur, qui saepe in principio morbi mortem adfert. Spasmi autem non semper cum inflammationis impetu vel secretae lymphae copia conveniunt.

Attamen aegroti salus maxime in eo vertitur, ut medicus ad morbum recens natum advocetur. Tum enim saepe larynx vel trachea tantum morbo affectae esse videntur, qui haud raro emeticis remediis fugatur. Qualem morbum nonnulli negant ad tracheitidem referendum esse. Sic v. c. ait Leroyius [a]): „Il est même possible, que le la„rynx soit seul affecté, et qu'on croye alors avoir guéri un Croup, „qui n'existait pas: mais qui allait se former par propagation." Neque tamen huic viro adsentior, persuasus haec ab inflammatione laryngis etiamsi exigua pendere, ideoque veram adesse tracheitidem.

Quod medicus utique sibi persuasum habeat, ne hac levioris inflammationis specie deceptus, ea negligat, quae morbum repellere possint, perditoque tempore saepe iniustas querelas edat de exigua vi et efficacia artis et remediorum. Profecto maiori laude dignus est is, qui, ut hoc utar, ineunti et levi inflammationi hepatis vel pulmonum prospexerit, quam medicus, qui neglecto horum morborum principio, post suppurationem demum institutam auxilium tulerit.

Neque ullum incommodum vidi exstitisse infantibus, qui tussi,

a) Vid. Moniteur 1808. No. 223.

cuius sonitus talis erat qualem in tracheitide percipimus, atque raucedine affecti, fortiora remedia acceperant. Quodsi spirandi iam difficultate exorta succurrimus, insigne damnum contrahatur. Nimirum multi de tracheitide praesente dubitant quamdiu spirandi difficultatem non perceperint. Sed repeto, quod dixi antea, me hanc laryngis affectionem quae et sonitu in tussiendo et raucedine tracheitidem indicat, non aliter esse curaturum, quam tracheitidem graviorem. Etenim metuendum est ne haec gravior fiat et accedat respirandi difficultas.

Postremo sunt multi medici, qui omnem operam collocant in expellenda lympha plastica. Alii iam in principio morbi hoc faciendum esse opinantur; quod nuper Formeius [b]) contendit. Sed equidem vereor, ne haec opinio et nonnullis erroribus faveat, et aliorum remediorum neglectum vel abusum adducat. Atque interdum haec ratio prorsus locum non invenit, praesertim quum morbus exierit a turbis nervorum. Tum optime morbo medemur et pacando quantocius inflammationis impetum, et succurrendo nervis.

Ordiamur loqui a curatione tracheitidis quae stheniae sive synochae naturam habet. Atque hic inprimis emetica in principio morbi adhibenda esse censeo; quam sententiam confirmant nonnulli Francogallorum medici, Pinelius [c]), Portalius [d]), Schwilguéius [e]) et Des Essartesius [f]). Alii suadent nonnisi detracto sanguine emeticis uti, verentes ne alioquin inflammatio augeatur.

b) l. c. pag. 366.

c) Médecine clinique, pag. 217.

d) Von der Lungenschwindsucht, pag. 180.

e) Recueil des observ. etc. pag. 105.

f) Ibid. pag. 106.

Et confiteor me olim, Cheynium [g]) secutum, sanguinem nunc illico nunc post emetica data detrahi iussisse. At vero persuasus sum et Olbersii experientia edoctus, emetica in principio morbi celerrimum auxilium, quo egemus, adferre.

Sed hoc inprimis curandum est, ut fortiori emetico crebrior producatur vomitus. Nonnunquam enim aegroti aegre vomunt, quod etiam ab aliis scriptoribus est commemoratum. Neque vero unquam tam largis et fortibus emeticis uti coactus sum, ut alii. Sic Leesonius [h]) infanti duorum mensium grana sex tartari stibiati praescripsit, soluti in sesquiuncia aquae et drachma una oxymellis squillitici, ita ut sexta quaque parte horae duo cochlearia minora (Cuillièrées à thé) porrigerentur. Et integram solutionem devorabat infans antequam vomeret. Hoc autem remedium superatur etiam alio quod Smithius [i]) infanti trimulo praescripsit. Cui postquam frustra aliquoties granum dimidium tartari emetici quavis hora quadrante dederat, praescripsit octo grana tartari stibiati et quindecim zinci sulphurici soluta in sesquiuncia aquae. Quarta quaque horae parte duo cochlearia minora huius medicaminis praeberi iussit. Ita vomitus copiosos pituitae grumos eiecit.

Cuius quidem vomendi difficultatis causa quaerenda esse videtur in spasmo tracheae. Idem nimirum accidit asthmate affectis, qui saepius inter insultum morbi largas portiones oxymellis squillitici, florum zinci et radicis ipececuanhae sine fructu assumserint. Saepius vidi vomitum excitatum esse portando infantes aut agitando super

g) l. c. Vol. I. pag. 25. „I have observed the best effects from emetics, whether used before or after the bloodletting.“

h) Medical and physical Journal, Novembr 1801. in versione germanica, pag. 805.

i) Memoirs of the medical Society of London Vol. VI. p. 74. et in Samml. auserles. Abhandl. für prakt. Ärzte, Vol. XXIII. p. 151.

genubus. Interdum aegroti vomunt devorantes magnam copiam infusae chamomillis aquae. Duos scio infantes, qui vomebant simulac hirudines collo applicitae erant, sublato, opinor, spasmo tracheae per sanguinis jacturam. Michaëlis contra tales spasmos fomentationes emollientes aut emplastrum vesicatorium collo imponi et opium sumi iubet. At vero illorum remediorum lenta et incerta actio dubiumque auxilium est; quale spasmo, qui ab inflammatione pendet, neutiquam convenit.

Itaque ego quidem et tartaro stibiato et radice ipecacuanhae uti soleo. Utrumque autem medicamen saepe coniungo, quia ita scio certissime vomitum excitari, neque alvum tartaro stibiato relaxari sine vomitu. Nonnunquam primum tartarum stibiatum praescribimus, cuius sat magna copia si vomitum non produxit, ad ipecacuanham confugimus. Sic nuper puero trimulo dedi tartari stibiati grana tria soluta in tribus unciis aquae, ita ut primum quarta, deinde fere octava quaque horae parte cochlear maius acciperet. Quod cum et spem et consilium nostrum fefellerit, pulveres praescripsimus quorum unusquisque quatuor grana radicis ipecacuanhae et aliquid sacchari contineret. Tertio autem pulvere sumto vomitus oriebatur.

Quemadmodum vero vomitus difficillime in principio morbo excitatur; ita semel excitatus, interdum per nonnullas horas breviori aut longiori tempore interiecto, crebrius redit. Tum remedia sequente tempore data vomitu eiiciuntur; unde incommodum existere non vidi.

Et quidem omnino Crawfordo adsentior dicenti paucos infantes esse mortuos, qui in principio morbi emetica remedia acceperint. Igitur emeticum ab initio datum in hoc morbo principatum tenere censeo neque ab ullo alio remedio superari. Quod quidem non solum mea experientia confirmatum est, sed etiam Olbersii aucto-

ritate comprobatum. Etenim uterque nostrum saepe vidit ineuntem morbum hac medicina exstinctum esse, ita ut iis, qui ad vesperam morbo erant correpti, dato vomitorio, sequente die vix illius vestigium superfuerit. Neque valde mirum est, nos cognovisse egregium usum emetici in principio tracheitidis dati; quum periculum huius morbi ex his decem annis civibus nostrae urbis bene notum, morbo ineunti occurrere et confestim medicum advocari iubeat. Ipse nunquam vidi morbum tanta celeritate et tanto successu curari, si, quod interdum feci, praetermisso emetico, sanguinem mitti vel hydrargyrum praeberi iussi, omnibusque, quae de tracheitide scripta sunt perlegectis, manifesto vidi nonnullos sali emetico salutem debere. Nam reliqua medendi ratio, qua nonnulli horum scriptorum usi sunt, ita est invalida ne dicam inepta aut perniciosa, ut salutem adducere nequaquam potuerit.

Iam periculum faciam explicandi hunc usum emeticorum, quae in principio morbi praebentur. In quo si minus recte versatus fuero, ad Borrowii auctoritatem confugio, qui dicit [k]): „Throwing „aside all theory, the great succefs that constantly attends the use „of emetics in cynanche trachealis, is sufficient to recommend them „as powerful remedies. There are many instances in which the „early administration of an emetic has totally removed the complaint „in the space of few hours!“

Cui quidem sententiae, quam de praestantia emeticorum in repellenda tracheitide protuli, contradicunt Salomon [l]), Michaëlis [m]), et alii, metuentes quidem, ne ita inflammatio augeatur. Quam ob rem emetica remedia provectiori morbo exhibenda esse arbitrantur,

k) l. c. pag. 26.
l) l. c. pag. 343.
m) l. c. pag. 210.

ubi membrana vel polypus (sic enim praeceperunt) sit exortus. At vero non solum huius morbi sed etiam aliarum inflammationum exempla hanc virtutem emeticorum satis demonstrant. Similiter scimus cynanchem faucium, quae vulgo angina serosa appellatur, sive sola incedat sive cum scarlatina, saepius optime emetico remedio aut imminui aut penitus tolli. Cuius rei nuper multa exempla vidi quum scarlatina hic grassabatur. Et in vulgus notum est ab hac lue praecipue adultos homines angina illa correptos esse, etiamsi scarlatinam iam antea habuissent. Neque inter ea remedia, quibus hic usus sum, ullum vidi tanta virtute instructum, quam emeticum. Deinde vomitoria eo prodesse videntur, quod in partibus inflammatis immutationem quandam producant, quae etiamsi inflammationem non illico tollat, tamen minorem copiam lymphae plasticae secerni iubet. Errat igitur Homius [n]), qui inde auctam lymphae secretionem metuerit.

Tum emetica magnam virtutem habent contra spasmum a quo interdum tracheitis orditur. Quos quidem spasmos emetica non solum confestim removere solent, sed etiam ita tollere, ut postea nonnisi exiguo cum impetu redeant. Qualis emeticorum vis in tollendo spasmo tracheae, an pendeat a sola conquassatione huius partis, vel ab actione illius remedii in ipsos nervos pharyngis et ventriculi, nolo decernere; ut quod nec satis exploratum, neque certis argumentis confirmatum sit. At nihilominus multa exempla ab hoc morbo aliisque repetita virtutem emeticorum, quam contra spasmos exserunt, egregie demonstrant. Nam perinde aliis morbis organorum respirationis v. c. tussi convulsivae et asthmati optime conducunt, tametsi hic primaria sive idiopathica sit adfectio nervorum,

n) l. c. pag. 57.

nec consensu quodam producta, uti in tracheitide. Postremo vomitorium non parum conferre solet ad promovendos sudores, qui quidem in morbo, qui frequenter suppressa perspiratione cutanea oritur, egregie conveniunt.

Ceterum nisi vehemens est morbus, vomitorio saepe et organa adfecta et totum corpus haud inique immutantur, quod supra iam dixi, ita ut fere nullis aliis remediis amplius sit opus ad salutem restituendam. Interim soleo equidem tum camphoram et sulphur stibiatum rubrum exhibere; de quibus remediis postea uberius agam.

Quodsi vero morbus magno cum impetu inceperit, atque febris vehemens cum sanguinis congestione in caput est coniuncta, neque morbus vomitorio multum remittitur, etsi aliquantum melior factus; tum sine mora sanguis detrahatur, cuius missio quo maturius fiat, eo maioris praestantiae. Et verum est, quod ait Cheynius o): „During the first stage, in violents attaks I should think myself „criminal, were I to neglect bloodletting and the antiphlogistic re- „gimen, in favour of any other measure; for I am more and more „convinced, that previously to the formation of the membrane, „disease is certainly to be cured by the means which I have recom- „mended." Idem huic remedio accidit, quod aliis in hoc morbo laudatis. Nonnulli enim illud ad sidera laudibus extulerunt, quaerentes in sanguine detracto solam salutis spem. Alii vero hoc quidem superfluum esse arbitrantur imo valde perniciosum, argumentis et rationibus ducti, quae satis demonstrant homines subtilissimos saepius per vanas opiniones et hypothesium amorem in errores rapi. Non contemnendae auctoritates Ghisii, Homii, Salomonis, Bayleii,

o) l. c. Vol. II. pag. 79.

Fieldii, Lentini, Portalii p), Fauchierii q), Carronii, Cheynii, Gölisii et aliorum, qui maxime hoc remedio usi sunt, satis comprobant eius virtutem atque praestantiam. Et celeberrimus Pallonius mihi retulit, se nunquam infantem e tracheitide pristinae valetudini restituisse, sine secta in pedibus vena, aut appositis ad collum hirudinibus. Quemadmodum vero antiquiores medici fortasse in curandis morbis nimiam sanguinis copiam miserunt; ita recentiores et medici quidem teutonici hic iusto cautius ac providentius egisse videntur. Cuius rei praecipua causa quaerenda sit in opinione illa, plerosque morbos asthenicae vel typhosae indolis esse. Certe verentur tales medici, ne sanguine detracto astheniam adducant; quae ne ipsius praetermissa sanguinis detractione potius acceleretur, vereor.

Nunc de iis rebus agam quibus maxime felicem successum venaesectionis debemus. Et mature quidem sanguis mittatur. Mox enim natura morbi sthenica, synocha, et vere inflammatoria in asthenicam, typhosam, nervosam aut paralyticam inflammationem abit, quae tale remedium non ferat. Cuius immutationis fines admodum difficile constitui possunt. Nonnullis enim cito et intra viginti quatuor horas ea supervenit, aliis secundo vel tertio demum die morbi.

Quae a nonnullis medicis praescripta est lex, venam non esse secandam, si iam secreta sit lympha in trachea, ea admodum incerta et irrita est. Neque enim certo constat tempus quo illius secretio incipiat; quam quidem citius atque vulgo existimetur, locum habere supra iam monuimus. Nihilosecius adsunt exempla sanguinis serius cum fructu missi. Ipse aliquoties infantibus robustis quarto demum die morbi sanguinem detraxi, non destitutus felici successu. Quam

p) Von der Lungenschwindsucht, Vol. I. p. 179.

q) Iournal de la Société de médecine de Montpellier An. 1805.

ob rem certis legibus haec describi nequeunt; quales aliis etiam in inflammationibus v. c. pneumoniae deficiunt. Medici prudentes et experti circumspiciant aut in perniciosissimos errores rapiantur!

Sed in sanguine detrahendo ne simus timidi. Nam interdum post hirudines appositas insigne profluvium sanguinis oriatur, ita ut infantes animi deliquio, imo convulsionibus corripiantur; nunquam tamen inde damnum vidi redundasse in ulteriorem progressum morbi, sed citissime aliquoties eum evanuisse. Sic aliquando hora septima vespertina ad filium parentum opibus haud multum valentum advocabar, qui iam per tres dies tracheitide laboraverat. Pueri huius robusti faciem inveniebam rubram tumidam et sudore tectam. Gravem totius corporis calorem et pulsus arteriarum frequentes, aliquantum plenos; respirationem valde difficilem, ita ut eam foris audirem. Vomitorio dato melior quidem fiebat morbus, sed hora nona spirandi difficultas rediebat. Quam ob rem tres hirudines collo applicari iubebam. Secunda hora matutina vulnera per hirudines inflicta, quae ex aliquot horis nullum sanguinem miserant, recentem ac largum fundebant, parentibus minus attentis. Postera autem luce, uti terrebar facie pallida et exsangui infantis fere continuo sopore correpti, ita mirabar respirationem levem et tracheitidem fugatam, raucedine et sonitu illo in tussiendo exceptis. Alterum huius rei exemplum filia mea erat, quam duabus sanguisugis afflictam negotia graviora me cogebant. Interea temporis magnam copiam sanguinis amittebat, ita ut primum animi deliquio, deinde levibus convulsionibus afficeretur. Haec mane acciderant. Versus vesperam viribus quidem destituta est, sed a tracheitide fere prorsus libera. Quae quidem exempla docent, primum sanguinis iactura in universum damnum non inferri; deinde sanguinis profluvium copiosum non nimis metuendum esse. Qua in re cum plu-

ribus aliis errat etiam Autenriethius [r]), qui minimo errore periculum mortis adduci arbitretur. Neque tamen iis adsentiar, qui sanguinem mittendum esse, donec lipothymia oriatur, utique imperant.

Ceterum sanguis varia ratione a medicis est detractus. Nonnulli enim venam brachii vel pedis aperiri iusserunt [s]), aut venam iugularem [t]), aut arteriam temporalem incidi. Alii cutem anteriorem colli multis vulnusculis laedunt scarificatione, quam vocant [u]), vel deponunt cucurbitulas in anteriore parte laryngis [v]). Alii denique in eodem loco hirudines applicari iubent, quam sanguinis detrahendi rationem cum Leistero, celeberrimo apud Hanoveranos medico, ceteris praetulerim. Sed haud diffiteor nonnunquam aliam rationem et quidem venae iugularis sectionem magnam utilitatem afferre posse, praesertim si suffocatio aut apoplexia instantem mortem minantur. Cuius rei exemplum legimus a Bayleio [x]) commemoratum. Scilicet infanti cuidam uno eodemque die semel e vena mediana et bis e iugulari sanguinem „ad deliquium usque,“ ut verbis eius utar, mittebat, felici successu ornatus.

Repeto quod supra dixi, mihi haud tantam sanguinis copiam ubique detrahendam esse videri; quapropter Borrowium, qui infanti anni unius cum dimidio e vena iugulari octo uncias sanguinis mitteret, vitupero, etsi infans celeriter sanaretur. Idem vir hoc remedio infanti insignem utilitatem adferebat, qui ex aliquod diebus

r) l. c. pag. 118.

s) Home, l. c. p. 10. 13. Ghisi, l. c. p. 11. Bayley, l. c. pag. 13.

t) Bayley, l. c. p. 10. 14. Borrowe, l. c. p. 30. 33. 34. Fielitz in Richters Bibliothek, Vol. VIII. p. 531. Cheyne, Vol. I. p. 25.

u) Crawford. Quentin, l. c. p. 192.

v) Ghisi, l. c. pag. 11.

x) l. c. pag. 14.

morbo correptus, sine dubio lympha in tracheam effusa vexabatur. Quod ille his verbis refert: „When I first saw the child, he appeared to be gasping for breath; his face was pale, or rather inclining „to a livid appearance; his pulse extremely weak and frequent; in „short all those symptoms appeared which accompany what Home „calls the putrid Stage of Cynanche trachealis.“ y). Neque praeter venaesectionem et vesicatorium alio remedio usus est, quam solutione tartari stibiati.

Arteria temporalis bis in nostra urbe disiecta est, felici cum successu; primum a Duntzio celeberrimo quondam Bremae medico, iam pridem mortuo. Scilicet infanti tracheitide correpto hirudinibus impositis tantam sanguinis copiam detraxit ut animo ille linqueretur. Nihilominus infans mox sui compos factus difficillime spiritum ducebat. Quam ob rem Duntzius arteriam temporalem interscindi iussit, quae vix aliquantulum sanguinis quum fudisset spirandi facultas restituebatur. Infans postea feliciter sanatus est. Deinde Olbersius noster infanti mercatoris in hac urbe arteriam temporalem interscindi iussit, minante suffocationis periculo, et sanguine ad caput congesto, unde facies rubra et tumida cum stupore continuo conspiceretur. Neque spem fefellit remedium. Nam et auxilium protenus adtulit et fere solum, infantem sanguinis plenum restituit.

Verumtamen haud improbo Cheynium z), qui infantibus nondum quinque annos natis tres vel quinque et ad summum octo uncias sanguinis e vena in brachio secta detrahi suadet. Equidem soleo hirudinibus uti, quas anteriori collo circa laryngem imponi iubeo. Nam hac ratione maiora praestant, quam impositae aliis et remotioribus

y) l. c. pag. 34.

z) l. c. Vol. I. pag. 25.

quidem partibus v. c. manibus pedibusque; quod etiam Alexander [a]) testatur. Si vero infantes collo hirudines applicari fortiter recusant, tempora praefero, quibus sauciatis sanguinis ad caput congestio optime coerceri videtur.

Numerus hirudinum, quae applicandae sunt, pendet partim ab aetate aegroti, partim a natura morbi. Sic duobus infantibus lactentibus hirudinem unam applicui. Sed ultra octo, quae nimirum infanti quinquenni opus erant, non adhibui, quidquid Homius Alexander aliique contradicant. Nam nisi sanguis multus repente detrahendus est, quod interdum necessarium esse haud diffiteor, sufficientem eius copiam possumus mittere lavando saepius vulnera ab hirudinis morsu inflicta. Et facillime haec vulnera denuo (nonnunquam adeo post duodecim horas) sanguinem fundunt, nobis invitis propter sanguinis iacturam vel emplastri vesicatorii incommodam applicationem.

Nonnunquam manifestum et apertum est commodum, quod hanc sanguinis iacturam per hirudines sequitur. Respiratio enim levissima fit, ita ut adultiores infantes, qui forte recenti tracheitide corripiuntur, hoc remedium repeti cupiant. Quod de suo filio experientissimus Olbersius mihi retulit, levamen sentiente, simulac hirudines sanguinem suxerant. Hoc testatur Cheynius [b]) his verbis: „When „bleeding is used upon the commencement of the violent symptoms, „the relief is often immediate; and I have scarcely believed that I „saw the same child breathing softly who ten minutes before lay „gasping and convulsed.“

Nonnunquam detractio repetenda est, praecipue si robustis infantibus suffocationis periculum et congestio ad caput minans citum auxilium postulant, etsi a priori sanguinis mis-

a) l. c. pag. 70.

b) l. c. pag. 17.

sione non magnum tempus praeterierat. Sed tum minor eius copia sufficit ad tollenda illa incommoda. Ceterum ipse rarius repeto hirudinum usum; neque, si exceperis nonnullos aegrotos, hoc necessarium esse arbitror, detracta nimirum primum sufficiente sanguinis copia.

Praecipua quidem virtus sanguinis detracti in eo posita est, ut inflammationem membranae pituitosae tracheae imminuat tollatve. Interdum vero etiam prodest spasmis tracheae fugandis; quantum iis probatum vidimus exemplis, quae spasmos intra exiguum temporis spatium sustulerint. Neque aliud contingere videmus aliis morbis spasticis organorum respirationis, affectionem vasorum sanguineorum simul secum vehentibus. Quam quidem sententiam de effectu illius remedii veram aeque atque necessariam, duxerim, quo aegrotis, quales supra dixi in periculo suffocationis versari, sine mora venam iugularem aut arteriam temporalem aperiendas curemus. Non dubito fore nonnullos qui meam impugnent sententiam, quaerentes auxilium in remediis antispasmodicis, quae dicuntur, siquidem spasmodica signa prae reliquis emineant. Quos spem et exspectationem certissime tali opinione deceptum iri, convulsiones aliique spasmi infantibus infesti edoceant. Quod si quis temere a me contendi existimet; legat quae Leroius [c]) refert, nonnunquam per paucas guttas sanguinis detractas salutem adferri.

Nobis ipsis trismi duo exempla in nostra urbe obvenere unum infantis lactentis, alterum equi. Utrumque aperte demonstrat sola sanguinis missione interdum valetudinem recuperari. Et quidem equus tantam copiam sanguinis amisit ut viribus exhaustus humi prosterneretur a trismo tamen quum ad se rediisset, liberatus.

c) l. c. pag. 446.

Quodsi tamen quis, perseveranter et obstinat, me errasse contendat et laudatam in his exemplis sanguinis detracti virtutem, ponendam esse nescio in qua derivatione sive deductione, per me quidem licet; modo ne sanguinis evacuatio ad remedia antiphlogistica, qualia vocant, temere semper referatur.

Denique nonnulli fatentur sanguinem hic emissum, admodum glutinosum esse et coagulabilem. Cui sententiae superstruxerunt varias opiniones de natura tracheitidis, quales Harlesius [d]) et Autenriethius tuentur [e]). Ipse nescio utrum haec vera sint nec ne, quia nunquam in tracheitide venam secari iussi. Interim quod Lentinus ait sanguinem per hirudines detractum ita glutinosum esse et coagulatum ut *carnium naturam* referat, verum excedere arbitror, quum ipse hoc nunquam observaverim.

Quodsi morbus his remediis non fugatur aut recens supprimitur, emplastrum vesicatorium utique opus est, quod praecipue laryngem et tracheam usque ad sternum tegat. Olbersius solet vesicatorium cervici imponere, postquam hirudinibus usus est. Ego illud remedium in principio morbi si gravior est adhibeo, vulneribus, quae hirudine inflixere sanguinem non amplius fundentibus. Si vero levior morbus esse incepit vel mitigatus vomitorio et hirudinibus, non statim vesicatorio utor, exspectans novum morbi impetum; quo repetito confestim ad hoc remedium saluberrimum confugio. Valde miror Rumseium [f]) et Leislerum hanc vesicatorii virtutem omnino negare, quum optimi scriptores et inter hos Borrovius [g]) de

d) In Hufelands Journal Vol. VI. Sect. 574.

e) l. c. pag. *66*.

f) l. c. pag. 159.

g) l. c. pag. 28.

ea consentiant. Interim Borrovius aliquod incommodum commemorat inde afferri. Scilicet ulcera intelligit, quae per vesicatoria producta, interdum in gangraenam abeant et mortem adducant. Quam ob rem haec ita adhiberi iussit, ut tantum cutis rubefiat. Verumtamen neque ego talia vidi neque ab alio legi commemorata. Igitur non solum vesiculam, sed etiam suppurationem tueamur. Nam continuata cutis irritatio haud exiguae est utilitatis. Ceterum huius remedii virtus non solum in tollenda tracheae inflammatione verum etiam in revellenda ea et spasmis discutiendis ponenda videtur. Saepius vidi morbum remediis antea laudatis pacatum, magno cum impetu redire violentis tracheae spasmis insignem, iterumque remotum simulac cutis adhibito vesicatorio rubuit. Si quis hanc virtutem vesicatorii in tollendis spasmis neget, Portalium [h]) consulat, qui egregie scripserit de utilitate illorum trium remediorum de quibus adhuc egi.

Alii medici emplastri vesicatorii loco iubent infricari linimentum ammoniatum, et Rechovius unguentum ammonio carbonico imbutum, quod deinde commemorabo. Illo rarius, hoc nunquam usus sum; ut qui cantharides celeriori et acriori virtute instructas praeferam. Neque adhibui fomenta e cepis assatis, quibus Vaughanius [i]) utitur, vel e farina seminum lini parata, qualia Goelisius [k]) praeter vesicatoria laudat.

Haec sufficiant disputata de remediis quae et ab omnium gentium medicis, et a me ipso efficacissima in principio morbi censentur. Neque hoc temere fieri, intelligitur e felici exitu morbi illis remediis recte impugnati. Nam curae quae postea in usum solet

h) Mémoires de la Société médicale d'Emulation, an. I. pag. 80 seqq.

i) Medical Repository Vol. III. p. 339.

k) l. c. pag. 8.

vocari non magnam fidem habeatis, quippe quae a variis medicis varia ne dicam opposita ratione perficitur. Ipse consultò modo hanc, modo aliam medicinam adhibui; et certissime inde mihi persuasum habeo non opus esse ad morbum ulterius tractandum certo remedio. Ita sine hydrargyro, tantopere celebrato, optime et feliciter tracheitidi medemur. Quibus tamen dictis medicamenta interius adhibita haud eiusdem aestimaverim pretii, ut quae profecto bene seligenda sint; sed illa modo tria remedia de quibus antea dixi praemittenda esse probaverim; quantum experientia me edocuit.

Inter remedia quae interne adhiberi solent, praeter vomitoria, maximam laudem hydrargyrum est consecutum, ita ut medici Angliae, Americae et Germaniae eo se non posse carere existimarent. Sed, etiamsi ipse hydrargyro plerumque in curandis his aegrotis, neque parco eo usus sum (ut deinde demonstrabo); tamen me docuit mea et Olbersii experientia, qui rarius hoc remedium adhibuit, tracheitidem etiam sine mercurii usu feliciter sanari. Quam ob rem libentius hydrargyro careamus in curanda tracheitide, quam emeticis sanguinis missione adeoque vesicatorio. Cheynius [l]) cuius auctoritas non contemnenda est, hydrargyrum hic esse superfluum arbitratur. Et Schwilgéius [m]), cui Pallonius etiam adsentitur, illius remedii virtutem a multis medicis celebratam in dubium vocat, idoneis argumentis ductus. Neque legimus sine fastidio laudes, quibus nonnulli scriptores hoc remedium tanquam solum morbo nostro idoneum praedicant, honorem quendam ponentes in ingenti copia hydrargyri aegrotis praescripta. Sin autem medici, qui utilitatem emissi sanguinis vel emeticorum vel vesicatorii dubiam fecerunt, aegroto-

l) l. c. Vol. II. pag. 79.

m) Recueil des observations etc. pag. 124.

rum historias nobis retulissent, intelligeretur per haec exempla causam cur illa remedia auxilium ferre negarint, non esse quaerendam in remediis ipsis sed in perversa ratione iis utendi. Neque tum hydrargyro muriatico miti, clysteribus cum aceto paratis, aliisque medicaminibus ita confisi essent, bene gnari tracheitidem etiam sine mercurii usu posse repelli. Praecipue autem duplici de causa indignamur, si quis in solo hydrargyri usu adquiescit Primum nos ipsi infantem, cui a principio morbi magnam copiam illius remedii praescripseramus, intra quadraginta octo horas perdidimus. Deinde, si morbus magno cum impetu orditur, praesenti auxilio opus est, quale ab hydrargyro non potest exspectari. Nam priusquam mercurius vim aliquam exserit in morbum, morte aegrotus eripitur. Quod si quis neget, afferat mihi exempla infantum quibus periculum suffocationis hydrargyri ope depulerit. Ego talia nec vidi nec legi descripta. Sed multa exempla infantum apud nos habemus, qui sanguinis missioni, vomitoriis, vesicatorio et protenus allatum levamen et restitutam salutem debent. Quodsi quis existimet, me hydrargyri usum reprehendere aut contemnere, vehementer errat. Nam vix dantur aegroti tracheitide affecti, quibus hoc remedium non praescribimus. Sed effectum eius credo ita esse explicandum, ut non solum inflammatio eo tollatur; sed ut in vasis quoque sanguinem vehentibus immutatio producatur, quae secretionem lymphae plasticae coërceat. Perinde verosimile est, hydrargyro effici ut lympha secreta absorbeatur.

Quodsi hydrargyro utimur, non exigua quidem copia praescribendum est. Nam velox decursus morbi citiorem effectum postulat. Sed afferam nonnulla exempla, ut nimirum intelligatur, quanta copia hoc remedium fuerit adhibitum; qualem quidem ego nec dedi

hactenus nec unquam dabo. Rumseium [n]) legimus infanti quatuordecim mensium intra tres dies quatuordecim grana calomelanos (hydrargyri muriatici mitis) dedisse, et duas drachmas unguenti mercurialis cinerei infricari iussisse. Alii puero, de cuius aetate, incerti sumus praescripsit quadraginta grana eiusdem remedii intra triduum, et unguenti illius drachmas tres illiniri curavit [o]). Andersonius infanti trienni ordinavit decem et octo grana calomelanos, quae intra viginti quatuor horas sumeret, aliumque quatuor annorum, iussit intra quinquaginta horas, quadraginta quinque grana illius remedii devorare [p]). Sed exemplum relatum Autenriethio [q]) omnia reliqua superat. Ille enim puero quinque annorum et dimidii, quadraginta grana hydrargyri muriatici mitis intra viginti quatuor horas praescripsit. Neque miror, quod dicat se oculis suis vix confisum fuisse, quum ipse stupuerim haec legens. Accedit quod ille puer tertio quoque quadrante horae clysterem accepit paratum cum aceto.

Dum haec describo, missae mihi sunt nonnullae dissertationes Edenburgensium, quarum altera de magna copia hydrargyri praescripti in tracheitide haec continet [r]): „Medicus haud parvi nomi-„nis [s]) praelectionibus suis publice docet, se hoc remedio confi-„sum, curationem efficere posse: nisi labra facta fuerint livida, et „aeger in articulo mortis versetur, antequam auxilium petatur. „Huius medicamenti granum unum, vel duo, vel etiam plura, „omni horâ vel semihorâ, secundum morbi violentiam et aegri aeta-

n) l. c. pag. 178.

o) Ibid. pag. 177.

p) Annales of Medicine by Duncan sen. et jun. Lustr. II. Vol. I. pag. 388. 389.

q) l. c. pag. 30. 31.

r) Dissertat. medica inauguralis de Cynanche tracheali, Jacobo Dabney auctore, pag. 30. 31.

s) Hamiltonem intelligit artis obstetriciae professorem.

„tem, adhiberi debent, ad id temporis usque, quo malum inclinari „incipiat. Quum primum vires morbi domuerit, et copiâ minore et „intervallis longioribus adhibendum est. Magna vis foedae, subvi- „ridis, limosae materiae plerumque deiicitur, et brevi post aeger „incipit melius se habere. Uni aegro, quinque annos nato, submu- „riatis hydrargyri grana septem et viginti, spatio quatuor et viginti „horarum; alteri menses septem nato, spatio trium dierum, grana „octoginta quatuor; tertio annos duos nato, horis duodecim, grana „triginta sex; alii annos tres nato, tribus diebus, grana centum et „triginta tria, maximo cum fructu in morbo nostro sanando suppedi- „tata sunt.“

Equidem tantam hydrargyri copiam nunquam praescripsi, quod patet ex historiis aegrotorum deinceps relatis. Semel infanti trimulo in biduo viginti sex grana calomelanos dedi.

Ceterum duplici ratione possumus hoc remedio uti; scilicet intrinsecus et extrinsecus. Utramque methodum saepius adhibui. Sed experientia me docuit, priorem esse praeferendam; quia nimirum ita hydrargyrum celerius agit, quam illinitum, etsi magna eius copia utimur, quod a me nuper factum est, qui infanti semestri quovis bihorio drachmam dimidiam unguenti mercurialis cinerei infricui. Interim sunt exempla ubi externum eius usum praeferimus, imo credimus internum usum, locum non invenire. Quodsi enim vel diarrhoea adest, aut hydrargyro ipso aut aliis rebus producta, vel vomitus continuus mercurium reiicit, quod bis accidisse vidi, sola eius infrictione uti possumus. Quidquid igitur dicat Autenriethius t) infrictiones hydrargyri utique reiiciens; hanc rationem retinebo, donec et mea et aliorum experientia edocear, hydrargyrum non aliter usum ferre quam producendo in canali intestinorum immutatio-

t) l. c. pag. 119.

nes (quas ille pluribus descripsit), et infantes faecibus criticis sanari.

In variis compositionibus hydrargyri, eminet mercurius dulcis sive calomel, quod a Vaughanio [u]) *vetustus Samson* vocatur. Verumtamen saepe hydrargyro oxydulato nigro utor, ab Hahnemanno parato, quod alui fluxum non ita excitet. Etenim si mercurii usus per plures dies continuatur, vehementior diarrhoea solet oriri, virium rationi quae aegrotis opus sunt, admodum perniciosa. Quam ob rem Dubouesii [v]) aliorumque exempla secutus, externum usum mercurii cum interno coniungere solitus sum; neque vidi tum alvum valde fluere.

Sunt, qui hydrargyrum muriaticum mite aliquoties tantum in die, sed magna copia praescribere soleant. Sic Kuhnius, medicus Philadelphiensis, infanti bienni quotidie quinque vel sex grana dedit. Huius collega Bedmannus tertia quaque hora tria grana illius remedii exhiberi iussit, donec devoratis granis quindecim alvus crebrius duceretur [x]).

At vero arbitror hoc remedium parcius licet crebrius esse porrigendum. Igitur praescribere soleo infantibus, qui tres sexue annos sunt nati, quavis hora dimidium vel integrum granum, si quidem solo mercurio utor. Sin cum aliis remediis coniunctum adhibemus, saltem unum granum omni bihorio damus. Scilicet solemus hydrargyro, quia per vomitum saepe eiicitur, aliquot grana pulverisatae magnesiae addere, cui substituitur ab Anglis creta alba. Unde si alvus nimium fuerit ducta, aliquid opii superaddimus. Cui sufficiunt consilio nonnullae guttae tinctu-

u) Medical Repository Vol. III. pag. 339.

v) Récueil des observ. etc. pag. 105.

x) Michaëlis Bibliothek, pag. 112.

rae thebaicae, quas cum ipsis pulveribus terendas curamus. Praeterea Cotunnio, Bardio, Andersonio, Leesonio aliisque adsentior, qui vel difficilem vel nullam salivationem ab hydrargyro produci observarunt. Nam unum modo vidi infantem, post consumta viginti quatuor grana hydrargyri oxydulati nigri, salivantem. Aliis per sex vel octo dies idem remedium dedi; attamen vix percepi odorem illum, qualem eiusmodi homines emittere solent. Ceterum huius medicaminis usum continuo, donec aegrotus convalescat. Deinde minorem eius copiam adhibeo, quoad valetudo prorsus restituta sit.

Plerumque hydrargyrum coniunximus cum camphora, aut sulphure stibiato fusco, aut sulphure stibiato aurantiaco. Et camphoram quidem hydrargyro ideo admiscemur, ut quam efficacissimam in tollendam omnem inflammationem quae manifestis synochae signis videtur destituta, statuamus. Quae camphorae virtus innumeri exemplis est comprobata. Neque dubito, quin inflammatio tracheae post adhibita vomitoria et hirudines synochae naturam plerumque exuerit. Deinde coniunctio hydrargyri cum camphora aliquod affert commodum, impediendo vim hydrargyri nimiam in intestina; quod fieri arbitror per effectum camphorae in cutem.

Maximae vero potentiae et facultatis est camphora cum sulphure stibiato aurantiaco et inprimis cum sulphure stibiato rubro coniuncta; ita ut praeter emetica, sanguinis missionem et vesicatoria praecipuum remedium sit in hoc morbo. Experientissimus etiam Olbersius, qui ex sedecim annis hoc remedium centum et quinquaginta et quod excurrit infantibus tracheitide correptis praebuit, eius virtutem confirmat. Neque vero sulphuris stibiati rubri virtus et actio ponenda esse videtur in promovenda eiectione materiae secretae in trachea; sed potius repetenda est ex immutatione quadam in

vasis sanguinem vehentibus inflammatis nimirum et secretionem perficientibus. Quae qualis sit et quibus signis deinde cognoscatur, si spectamus materiam secretam, id prorsus ignoramus, quia aegroti parum aut nihil eiiciunt. Itaque dubium relinquo, utrum explicatio, quam de actione sulphuris stibiati rubri in principio morbi dedi, vera sit, nec ne. Sed hoc certum est, camphoram cum sulphure stibiato rubro coniunctam egregium usum adferre; qualem omnes medici experientur, periculum istud facturi.

Optime quidem haec remedia ita praescribuntur:

Recipe: Syrupi Altheae, unciam unam;
Mucilaginis Gummi Arabici, semunciam;
Camphorae, grana quatuor;
Sulphuris stibiati rubri, grana tria.
Fiat linctus, et dentur quovis bihorio duo cochlearia minora.

Haec compositio infanti trimulo conveniet, certe ab initio; sed consumenda est intra sedecim vel octodecim, ad summum intra viginti quatuor horas. Si sulphuri stibiato rubro substituimus sulphur stibiatum aurantiacum, quod raro fecerimus, maiori copia hoc adhibeamus, quoniam mitiorem vim habet. Quodsi eodem tempore hydrargyro uti constitui, non omnia coniunctim praescribere soleo, sed ita, ut aegrotus hydrargyrum horis alternis nunc remedium e camphora et sulphure stibiato aurantiaco compositum accipiat, cuius formulam antea dedi. Etiamsi vero hydrargyri vis aliquo modo sulphuris stibiati sive rubri sive aurantiaci usu adiuncto imminuitur, hoc tamen in tantum fieri nego ut nonnulli opinantur. Nam plerumque copia hydrargyri quae porrigitur sulphur stibiatum ter superat. Sed, ut dimidia virtus hydrargyri

hac ratione pereat, idcirco non omnis infringitur; et quam perdiderat vim, altero remedio large effuseque redditur.

Quodsi vero usque augetur morbus et respiratio difficilior redditur, neque dubium relinquitur de collecta materie in trachea; tum medico curandum est, ut lympham mox expellat. Quam ob rem copia sulphuris stibiati rubri interdum ad duplam augeatur. Neque metuenda est nausea vel vomitus inde concitatus, quum saepissime videamus respirationem faciliorem reddi, etsi nihil collectae lymphae eiiciatur. Neque aliam salutem affert tartarus stibiati, cuius exiguam copiam (refractam dosin vocant) nonnulli medici per integrum morbum adhibent.

Praeterea etiam alia sunt remedia ad resolvendam et eliminandam materiem secretam idonea, quibus et ipse et alii utebantur. Primum in his nomino polygalam senegam. Quam quidem commendarunt Archerius [y]), Bartonius [z]), Lentinus, et Caronius. Inprimis autem Archerius hoc remedium laudavit, epistola fratris sui nisus, qui senegam ceteris omnibus praeferendam esse putet. Verba haec sunt: „not give an ounce of Seneca as a chance in the Cure of „Croup, for all the Emetic, Tartar, Mercury and Cantharides in „the United States [a]).“ Sed haec magna laus, tantum spectat ad eiectionem alienae membranae. Ait enim Archerius [b]): „I am in„duced to believe, it will scarcely ever fail, when given in the „forming state of the membrane, and I am confident it will suc-

y) Dissert. cit. pag. 33. Medical Repository Vol. II. Nro. I. art. 7. Annals of medicine by Duncan sen. et jun. Vol. IV. p. 512. Rcueil des observations et des faits sur le Croup, pag. 115 seq.

z) Collections for an essay towards a materia medica of the United States, Philadelphia 1801. Part. I. pag. 33. 34.

a) Ibid. pag. 45.

b) Ibid. pag. 33.

„ceed in a majority of cases after a complete formation of the mem-„brane.“ Arbitratur vero Archerius hoc remedium non esse virtute emetica vel expectorante vel diaphoretica instructum, sed aliquem stimulum admovere tantum ori faucibus et reliquis partibus. Idem fere statuit Lentinus [c]); quam quidem sententiam non est, quod refutemus. Forma, qua Archerius senegam propinari iubet, neque omnino mihi placet, neque tantam radicis commendarem copiam. Syrupus autem senegae quem Lentinus [d]) et Caronius [e]) praescribunt, imbecillior est, quam ut multa sperari iubeat. Archerii formula [f]) haec est:

Recipe: Radicis Senegae in pulvere crassiori, semiunciam;
Coquatur in aquae fontanae unciis octo
ad remanentiam unciarum quatuor.

Per singulas horas vel dimidiatas etiam prout signa urgent, cochleare minus huius decocti exhibet guttalis insuper aliquot interiectis, quibus nimirum stimulus continuetur. Si vero vomitus vel diarrhoea inde suscitantur, minorem copiam porrigi iubet, quae incitationem in ore et faucibus, ab ipsa senega productam, tueatur. Equidem infusionem decocto praefero, quippe quae, volatiliores radicis partes in se retineat. Deinde semper radicem saleb vel altheae cum syrupo diacodii addere soleo, quia saporem senegae acerrimum infantes fere omnes recusant. Scilicet drachmis duabus radicis senegae, quibus quatuor unciae aquae sunt infusae, addimus unciam syrupi altheae vel diacodii cuius compositionis quovis deincepsbihorio dimidium vel integrum cochleare damus, ratione

c) Hufeland Journal etc. Vol. II. Part. 2. pag. 173.

d) l. c. pag. 173.

e) l. c. pag. 407.

f) Annals of Medicine, pag. 311.

habita aetatis aegroti aliarumque rerum. Exeunti quidem morbo, qui magnam copiam lymphae plasticae in trachea collectam profiteretur, salutares inde vidimus effectus, si quidem vomitu suborto aliquae particulae illius lymphae eiicerentur. Eosdem vidit Barkerius [g]). Verumtamen persuasum mihi habeo huius remedii salutarem vim in vasorum sanguiferorum inflammatione et secretione immutandis etiam cerni.

Nec minus gummi etiam ammoniacum hic adhibui. Neque tamen inde manifestam utilitatem expertus sum; et nescio an unquam hoc remedio in tracheitide denuo usurus sim. Nam facile gravem diarrhoeam excitat, quae usum hydrargyri usque continuandum, vetat.

Iam opportunum est repetere emetica, quae aut salutem aut certe levamen aegrotis adferunt. Quorum quidem usus hoc morbi tempore longe incertior est quam in principio, et praecipue ab expellenda lympha repetendus. Sed nunquam membrana, quae formam tracheae referret per vomitum nobis oblata, qualem Callisenius [h]) et alii descripserunt. Burtonius [i]), qui morbum valde ancipitem ducit, se hoc eius stadio unum modo aegrotum restituisse narrat, magnas partes membranaceas haud sine gravi virium intentione eiicientem. Sed arbitror ab emeticis maiorem utilitatem posse sperari, quando maiores et densiores particulas illius materiae eiici videmus, atque si lympha eiecta fluidior comparuerit. Nuper vidi infantem, eiectis per vomitum magnis partibus talis materiae, quae vasis aqua repleti fundum peteret, ad sanitatem redire. Perinde Portalius [k]) affirmat se infantes vidisse, qui, summo

g) Medical Repository Vol. VI. Nro. 3. pag. 23.

h) l. c. pag. 78 sqq.

i) Medical and physical Journal 1800. Month April. In versione german. pag. 302.

k) Mémoires de la Societé médicale d'émulation, ann. V. pag. 91.

morbi gradu iam correpti, eiiciendo per vomitorium unam duasve membranulas, et vocem et sanitatem repente recuperarent. Equidem hoc bis tantum contingere; plerorumque autem statum mox deteriorem evadere vidi. Quam ob rem neque cum aliis vomitorium hoc tempore morbi datum nimiis efferam laudibus, vel solum remedium perhibeam, cui nunc fides habeatur. Nonnullis infantibus fere in momento mortis vomitorium praescripsi. Sed tam atrocia symptomata inde conflata, ut ab usu illorum lubenter abstinerem; praesertim quum nullum evidens obtineretur inde commodum. Obversatur etiam oculis adhuc infans, qui licet gravissimis musculorum convulsionibus, incassum tamen ad vomitum compelleretur. Praeterea vero, si morbus ad maiorem gradum evehitur, et respiratio operosior incedit, in spasmos tracheae, quae nunc confestim augeri solent, medico est agendum, et prospiciendum viribus infantis, quantum id fieri possit. Utrique officio optime satisfiet moscho, quem non possum non hic summis laudibus efferre. Neque vero hunc solum exhibere soleo, sed coniunctum cum sulphure stibiato rubro, continuato insuper hydrargyri usu. Et larga quidem copia moschi utor, quam infantes plerumque bene ferunt; licet intra viginti quatuor horas haud plura atque duodecim eius grana infanti trium annorum suppeditare ausus sim. Neque destituor exemplis, quae salutarem et vitalem huius remedii virtutem haud dubiam relinquunt. Ex asa foetida, quam nonnunquam infantibus egenorum parentum, neque exigua copia praescripsi, haud tantam utilitatem redundare vidi, quanta moscho adfertur. Praeterea solent etiam infantes asam foetidam recusare, ita ut vomitus et diarrhoea excitetur, viribus et hydrargyri usui admodum infesta. Fateor tamen hoc remedium accuratiorem investigationem mereri, praesertim quum Millari, Vieusseu-

sii[l]) et Schaefferi[m]) auctoritas et experientia hunc eius usum tueantur. Neque puer quem antea commemoravi quatuor hebdomades aegrotasse, alii atque huic remedio per quatuordecim dies sumto salutem restitutam debeat.

Remediis interne datis sunt etiam externa adiungenda, et quidem irritantia; inter quae sinapismos cum armoracea coniunctos ceteris praefero. Quibus etiam Schwilgueius[n]) sine armoracia utitur. Item experientissimus Olbersius mihi narravit, ipsum suum filium perquam operosa respiratione laborantem sinapismi cum fermento panis parati usu conservatum esse, quo non pedes solum sed fere integra crura tegerentur. Vesicantia pectori imposita non tantae virtutis esse vidi.

Haec sunt, quae de cura tracheitidis proferenda videntur, si nimirum morbus ab initio stheniae sive synochae naturam habet, et vel ita sanatur vel astheniae, typhi, ataxiae et adynamiae naturam sibi induit. Nunc agam de curatione tracheitidis quae in principio asthenica est.

Quo eius charactere curationem peculiarem requiri statim moneam, si infantes scrophulosi, vel infirmiores vel qui manifesto sunt afflictae valetudinis a tracheitide corripiuntur. Et his quidem vomitoria valde conveniunt; ut quibus morbum saepe viderim citissime sanari, aeque, ac sthenicam tracheitidem. Hirudines hic non commendamus. Nam manifesto nocent, quia et totius corporis ratio, et inflammatio membranae pituitosae tracheae est asthenica. Igitur cum debilitatem reliqui corporis augent tum in membrana pituitosa tracheae, vasorum sanguinem vehentium

l) l. c. pag. 167.

m) l. c. pag. 121.

n) Récueil des observations et des faits sur le Croup etc. pag. 105.

robur infringunt, ita ut copiosior lymphae plasticae secretio ab his perficiatur. Quam ob rem, dato vomitorio, solemus camphoram cum sulphure stibiato rubro iunctam, quam supra commendavimus, praescribere et alternis vicibus hydrargyrum exhibere, ita tamen ut alvus non iusto largior ducatur. Deinde etiam senega hic eximiae est utilitatis. Tum maturum vesicatorii usum, utpote saluberrimum nunquam omittendum esse censeo. Mox autem, si morbus augetur, confugiendum est ad moschum et ea remedia, quae externum stimulum addunt.

Quodsi medicus aliquot diebus post morbum exortum, qui sthenicus fuisse videtur ad aegrotum advocatur neque morbus ad fastigium pervenerit, vomitorium exhibeat. Ego certe vomitorium hic insignem usum tulisse et restituendae saluti viam parasse animadverti. Quod vero pertinet ad sanguinis missionem, dubiam eam mittimus. Sed hoc certum est, iudicium de ea mittenda non posse regi a morbi decursu quippe qui varius admodum sit. Alii enim iam secundo morbi die ea signa experiuntur, quae alios tertio vel quarto die aggrediuntur. Similiter in reliquis inflammationibus sanguinis detractio non pendet a tempore per quod duraverit morbus vel singulis eius symptomatibus, sed a conspectu et accurata investigatione omnium signorum. Igitur si infantes sunt robusti et quales antea dixi sanguinis missionem bene ferre, non admodum haesitandum est in adhibendo hoc remedio. Sed caveamus etiam ne nimia illius copia detrahatur. Itaque duae vel tres hirudines hic sufficiunt, tametsi in principio morbi advocati sex et plures etiam commendaverimus. Debilioribus infantibus autem non debent applicari. Nam levamen quod iis hirudinibus adferri videtur, tantum simulatur, et mox morbo recrudescente mors adducitur, quam omissis hirudinibus fortasse evitare potuissemus. Itaque iis, quibus hirudines

non sunt concedendae, vesicatorium ad collum ponatur. Quod si speratum auxilium denegat, ad sinapismos est confugiendum. Ego etiam hic pectori alterum vesicans imposui. Ceterum his aegrotis ab initio larga copia sulphuris stibiati rubri, senegae et hydrargyri est danda; praeterea unguentum hydrargyri cinereum etiam infricandum. Denique mox moschus praescribendus est, ne subita mors eius usum praepediat.

Quodsi tracheitis variolis malignis supervenerit, hydrargyrum ei opponendum est, quod etiam in variolis ab omnibus fere scriptoribus recentioribus commendatur. Sed quoniam hoc variolarum genus saepe diarrhoea gravis comitatur, semper adiunxi hydrargyro opium; quae tamen omnia copiosius iam a Reilio [o]) sunt disputata. Hoc tantum addam, quod hydrargyri virtus mihi non videatur repetenda esse ab excitata salivatione. Quanquam enim tracheitis solet tum demum variolas accedere, quum vel deest iis salivatio vel praesens supprimitur; tamen salivatione arte excitata illam explere non credo, praesertim quum saepe hydrargyrum usum ferre videamus et ante salivationem ortam et hac prorsus deficiente.

In morbillis, quos tracheitis nuntiare solet, primum praescripsimus vomitorium. Deinde si vehemens synocha aderat et augebatur spirandi difficultas, hirudines et vesicatorium collo adposuimus. Intus liquorem ammonii acetici dedimus cum aqua florum sambuci et oxymelle simplici coniunctum, sthenicaque indole febris fugata, camphora cum sulphure stibiato rubro usi sumus. Si vero eruptis morbillis superoritur tracheitis, ante omnia videndum est, an in pulmonibus inflammationis vestigium inveniatur, quippe quae in morbillis haud rara est, et vomitorii usum vetat. Quam si non

o) l. c. pag. 89 sq.

animadvertimus et febris synocha inflammationem comitatur, ea ratione medendi opus est, quam modo commemoravi. Sin autem typhosa est febris, confestim ad camphoram, moschum et sulphur stibiatum rubrum confugiamus. Denique tracheitis, quae morbillos sanatos sequitur, curanda est secundum morbi naturam accurate investigandam. Duobus infantibus, quos supra commemoravi, vomitoria, hirudines et vesicatoria repetita exhibui non sine magno commodo. Mox autem camphora et sulphure stibiato rubro sum usus, quia tracheitis per morbillos praegressos, asthenicam prae se ferebat naturam. Hydrargyrum hic non adhibuimus, licet recens datam eius adhibendi occasionem haud praetermissuri simus, ut quod salutare nobis etiam videatur.

Iam supra dixi me tracheitidem febris scarlatinae comitem, ter tantum sthenica natura praeditam vidisse. Altera aegrota matrona erat, cui eodem die bis venam secari iussi et sequente nocte octo hirudines laryngi adplicari. Deinde collum vesicatorio circumdedi. Intus adhibui aquam florum sambuci cum oxymelle simplici et nitro depurato mixtam. Quibus quidem remediis, ut supra dixi, aegrota prorsus est sanata. Sed non dubito quin simili occasione oblata post primam sanguinis missionem, vomitorium praescribam, et deinde hydrargyro utar ita ut aeger quavis hora certe unum eius granum accipiat. Neque in tali morbo sthenico alvi fluxus est timendus imo maximopere optandus. Nam adsentior Stieglitzio, qui scarlatinae synochae naturam gerenti vomitoria et purgantia remedia maxime convenire censet. — Alterum exemplum vidi in infante, quem vomitorium datum fere prorsus tracheitide liberaret ita ut hirudines non essent opus. Itaque deinde remedia purgantia praescribebam, quibus infans bene restituebatur.

Quodsi vero tracheitis coniuncta est cum scarlatina maligna sive

typhode (et hoc quidem plerumque locum habet); tum hydrargyrum, moschus camphora et vesicantia sola sunt remedia, quibus spes salutis rediturae nititur. Sed libere fateor, me unum modo infantem his remediis valetudini pristinae restituisse, ubi res mala, spes multo deterior esset; de quo supra iam dixi.

Quibus ad tracheitidem variolae vaccinae et febris urticata accedit, ii singulari curatione non egent. Etenim hanc coniunctionem fortuitam esse neque magna vi in tracheitidem praeditam experti sumus.

Ex his quae de curatione tracheitidis, variae eius naturae, coniunctioni cum aliis morbis eiusque stadiis accommodanda, ego disputavi, intelligitur me naturam et experientiam esse secutum. Neque dubito, quin quemcunque medicum integrum sua experientia edoceat, hanc curationem probatam esse.

Nunc nonnulla remedia adferam quae ab aliis medicis commendata sunt; quorum aliquod quid ad morbum sanandum aliquid valuerint nocuerintve, omnino mittam ut qui effectus eorum haud satis exploratos habeam.

Anglorum medici nonnulli digitalem purpuream, quae ibi multis aliis in morbis commendatur, in tracheitide auxilium attulisse affirmant [p]). At vero nescio an unquam huic remedio fides sit habenda. Nam exigua copia datum, unde semper initium fieri debet, nimis tarde agit. Et maiori copia praescriptum, non videtur aliter usum ferre, quam excitando vomitum; ut taceam vertiginem aliasque nervorum perturbationes inde exortas, quae infantibus, aptis nimirum ad affectiones cerebri, valde nocere possunt. Quod vero dicit

p) Pearson, l. c. p. 5†. Custance medical and physical Journal, Month October 1801. in versione Germanica, p. 766.

Bartonius, quantum ab Archerio refertur [q]), potum caffeae laudandum esse, id prorsus non attingo.

Sed fortasse potioris dignitatis est ammonium carbonicum, quo Rechovius [r]) affirmat duos infantes saluti restitutos esse, quorum tracheitis ulterius iam progressa erat. Verumtamen libere profiteor, hoc remedium mihi ambiguum videri, praesertim quum Rechovii sententia de natura tracheitidis, prorsus a mea differat. Et, ut verum sit Rechovii [s]) effatum, hoc remedio materiam albuminosam egregie solui, idcirco tamen non video, qua ratione hoc solo remedio morbus sanari possit. Ceterum solet illud remedium admiscere medicinae, quae a Peyrilhio roob - antisyphiliticum vocatur, eiusque mixturae cochlear maius horis quaternis exhibere. Deinde hanc formulam unguenti praescribit:

Recipe: Cerati Galeni, uncias duas;
Ammonii carbonici, drachmas duas.
Misceatur, Detur.

Cuius unguenti drachmas duas quarta quaque hora in anteriorem partem et latera colli infricari iubet. Neque vere his duobus exemplis quae Rechovius commemoravit illius remedii virtus probatur, sed profecto uberiori exploratione indiget. Et omnino adsentior experientissimo Sedilloto, qui vomitorio alius infantis salutem maxima ex parte tribuit [t]) atque unguentum illud non aliam vim habere censet, quam emplastri vesicatorii [u]) illam. Ceterum si

q) l. c. pag. 45.
r) Journal général de médecine, Tom. XXII.
s) l. c. pag. 10.
t) l. c. pag. 19. subnotata.
u) l. c. pag. 12. subnotata.

hoc remedium ad tracheitidem curandam est idoneum, profecto illo morbi stadio commendandum esse mihi videtur, quo iam magna copia lymphae plasticae in trachea est collecta.

Neque hoc satis intelligo, cur Thorntonius gas azoticum in hoc morbo laudet. Num forte experientia ductus? an argumentis?

Tum balnea calida arbitror maxime commendanda esse, ad pacandas nervorum turbas; tametsi ego iis adhuc non sim usus. In quibus adhibendis valde cavendum est, ne refrigeratione imprudenter admissa morbus augeatur. Sic refert Gutfeldus infantem, qui catarrho adfectus provide in balneum mittebatur, tribus horis post tracheitide fuisse correptum. Sed hoc fortuito accidisse arbitror. Nam multi medici, inter quos Chalmerium [x]), Leesonium [y]), Andersonium [z]), Vieusseusium [a]), Borrovium [b]) et Cheynium [c]) nomino, haec balnea confidenter laudant. Magni momenti est locus Cooksonii [d]), qui refert Duncanum, celeberrimum Edenburgensium professorem, quem virum patris loco veneror, hoc remedium valde laudasse. „Monuit me etiam vir ille celeberrimus Dun„canus, se olim tractasse puerum hoc malo citissime correptum, „qui balneo calido adhibito, statim rediit sanus ad sodales: saepe „sese oblectans eodem corripiebatur puer morbo, nec unquam sine „pari eventu in usum vocabatur balneum calidum.“

Porro Crawfordius et Buchanius in regionibus, quibus morbus noster solemnis sit, ineuntem morbum pediluviis repelli posse con-

x) l. c. pag. 79.
y) l. c. pag. 805.
z) l. c. pag. 459. 462.
a) l. c. pag. 169.
b) l. c. pag. 28 29. 30. 31.
c) l. c. pag. 26.
d) l. c. pag. 21.

tendunt. Quibus quidem Michaelis adsentitur, neque ego diffiteor. Sed libere fateor, me hoc remedium non adhibuisse; quoniam facillime hic aliud incommodum potest oriri, quod utilitatem pediluvio adlatum longe superet. Nonnulli Francogallorum medici, ut Pinelius [e]), Duboueisius [f]) et Doubleius [g]) (qui semina sinapeos addi curat) pediluvia valde commendant, ita ut occasione data iis uti constituerim.

Alii valde celebrant haustos vapores aquae bullientis, aut simplicis aut commixtae aceto [h]). Schwilgueius [i]) etiam laudat vapores acidorum vegetabilium et mineralium, spiritu ductos; quorum auxilium mihi arridet. Sed libere fateor, eorum usum multum incommoditatis et difficultatis habere, imo nonnunquam omnino non concedi. Saepius machinam adhibui a Mudgeio inventam et *Inhalor* nominatam. Sed non potui infantes ad eius usum in principio morbi perducere. Et in progresso morbo hac machina uti non licuit propter magnam spirandi difficultatem. Neque spongia, quam aqua calida et aceto imbueram, hoc perficere potui. Nam infantes tracheitide correpti magna anxietate agitantur. Nuper etiam commendatus est a Pinelio [k]) haustus vaporum naphthae vitrioli (quos Pearsonius [l]) iam antea phthisicis hominibus adhibuit; et quibus iste ipse [m]) illius aegrotos restitutos esse existimat.)

e) Médecine clinique, pag. 218. et Récueil des observations et des faits sur le Croup etc. pag. 105.

f) Ibidem pag. 105.

g) Ibid. pag. 106.

h) Home, pag. 12. 13. 17. 23. 24. 30. 56. Salomon, pag. 336. 337. 343. Rosenstein, pag. 709. Bard in Richters Bibliothek Vol. V. pag. 745.

i) Schwilgué in Récueil etc. des observations et des faits sur le Croup, pag. 106.

k) Simmons medical facts and observations, Vol. VII.

l) Médecine clinique, pag. 218. Magazin encyclopédique, an. VII. No. 10. pag. 164.

m) l. c. p. 5.

Quod tamen certo definiri non potest, quia Pinelius simul aliis remediis, v. c. vomitoriis et infrictionibus unguentorum volatilirum usus est. Et nescio an idonea sit Pearsonii explicatio rationis qua hoc remedium agat. Scilicet existimat hoc vapore parti affectae admoto, nimium calorem, qui collectam lympham plasticam spissiorem et membranae similem reddat, diminui. Deinde hoc vapore irrorari et solui coagulatam lympham atque vasa tracheae, quam nondum illa materia tectam perstringat ille ita immutari, ut tantum humorem tenuem neque ad coagulandum valde idoneum, vel etiam pituitosum secernant, qui facile vomitu eiiciatur [n]). Sed utcumque res se habet, hoc remedium omnem attentionem meretur. Nam commendatur a Pinelio viro subtilioris ingenii et docto. Neque Autenriethium [o]), neque Sachsium [p]) cell. qui hoc remedio non multum usi sunt in tracheitide, iure eius virtutem negare arbitror. Equidem nuper tantum hoc remedium adhibere incepi, si nimirum lympha plastica videbatur effusa esse, quod Doubleius [q]) suadet. Sed haec pericula a me facta non sufficiunt ad iudicium quod competat, ferendum. Omnium facillima applicandi eius methodus est Pearsonii [r]), qui vasculum apertum aethere sulphurico impletum, ori infantis admovet.

Nescio an Gutfeldus [s]) consilium suum inhalandos esse vapores naphthae aceti, ipse exploraverit aliorumve exemplis confirmatum

n) l. c. pag. 5.

o) l. c. pag. 41. 61.

p) Lentin Beyträge, Vol. III. pag. 54.

q) l. c. pag. 45.

r) l. c. pag. 6.

s) l. c. p. 76.

proposuerit. Interim hoc a Völkersio [t]) qui idem remedium valde commendat, factum esse arbitror.

Denique alii ad expellendam lympham plasticam laudarunt sternutamenta [u]). Equidem his nunquam usus sum. Nam ut aliquid istis expellatur e superiore parte tracheae, idcirco ad eiiciendam lympham altius et praecipue in bronchiis reconditam nihil conferunt.

Postremo nonnulla disputabo de *tracheotomia*, quam Michaelis [x]) et Caronius [y]) existimant utique necessariam esse ad tollendum morbum. In quorum sententiam eunt Yelloleius [a]), Schwartzius [b]), Dureilius [c]), Chaussierus [d]); qui tamen omnes hoc remedium commendarunt, non experientia edocti, sed solis theoriae rationibus commoti.

Alii medici hanc operationem reiecerunt [e]), et iure quidem arbitror. Neque dubito adsentiri Aretaeo Cappadoci [f]) et Caelio Aureliano [g]), qui olim iudicarunt, eam hic prorsus locum non invenire.

Idem statuendum est de chirurgorum quorundam celebrium in

t) l. c. pag. 208.

u) Chambon, l. c. pag. 551. germanice sub titulo: Mertens Betrachtungen der faulen Fieber, der Pest und einiger anderer Krankheiten, pag. 294. Lentin's Beyträge, Vol. I. pag. 306. Hufelands Journal, Vol. II. pag. 176. Schwilgué, in Récueil des observations et des faits sur le Croup, pag. 106. Double l. c. pag. 44.

x) l. c. pag. 217 sq.

y) Traité du Croup aigu, Paris 1808.

a) l. c. pag. 51.

b) Hufelands neues Journal der pr. Heilkunde, Vol. VIII. Sect. II. pag. 149.

c) Récueil des observations et des faits sur le Croup, pag. 126.

d) Ibid. pag. 127.

e) Chambon, l. c. p. 550. Ferriar, l. c. p. 248. Cookson, l. c. p. 59. Alexander, l. c. p. 78. Autenrieth, l. c. p. 51. Kiesewetter, Reichsanzeiger de a. 1801. No. 12. Sternberg, ibid. No. 85. Cheyne, l. c. p. 29. Fürstenau, l. c. p. 18. Double, l. c. p. 34. O'dwyer, l. c. p. 28. Lang, l. c. p. 49.

f) De caussis et signis acutorum diuturnorum morborum, Libr. I. p. 332.

g) Acutorum Lib. III. cap. 4. p. 223. ex edit. Halleri, Lausannae 1775.

Francogallia, consilio. Scilicet suaserunt, ut trachea eo loco aperiatur, quo ligamentum crico-thyreoideum cartilaginem cricoideam et thyreoideam coniungit [h]). At vero haec sententia variis argumentis refutatur. Nam primum removendae lymphae plasticae e larynge et trachea, talis incisio non sufficit. Neque enim lympha ita tenax esse solet, ut possit educi. Deinde nescimus locum cui praecipue lympha collecta forte inhaereat. Porro non video, quo modo ita possit expelli illa lympha plastica tenuior, quam scimus plerumque in bronchis haerere et plus etiam conferre ad suffocationem excitandam, quam ea lympha quae in superiore trachea continetur; quod et a me supra iam dictum est et a Vicq-d'Azyrio [i]), Cheynio [k]) et Schwilgueio [l]) confirmatum. Quod ipse Richerandus etiam, licet hanc operationem commendet, his verbis concedit [m]): „Cette opération ne convient, comme on sent bien, que dans le cas „où l'obstacle au passage de l'air existe dans la partie supérieure du „larynx: d'ailleurs l'incision de la membrane crico-thyreoidienne „ne fournit pas une ouverture assez large pour la sortie des corps „étrangers d'un certain volume." Et, ut aliqua pars collectae lymphae inde extrahatur, num idcirco secretio omnis suspenditur? Imo metuendum est, ne magna irritatio illata tracheae per fistulam, qualem suadent incisae tracheae immitti, secretionem promoveat augeatque.

Denique errant, qui opinantur spasmum glottidis tali incisione sublatum iri Neque enim causa spasmi tollitur; et timendum est

h) Vicq-d'Azur dictionnaire de médecine, p. 759. Bichat Oeuvres chirurgicales de Desault Tom. II. p. 272. Richerand nosographie chirurgicale, Tom. III. p. 127.

i) l. c. pag. 158.

k) l. c. Vol. II. pag. 74. 75.

l) Récueil des observations et des faits sur le Croup. pag. 127.

m) Nosograph. chirurg. pag. 131.

ne iste augeatur. Postremo haec operatio sanguinis copia dissuadetur, quae e vasis thyreoideis dissectis effluit. Hoc argumentum non satis exploratum a Caronio, nuper a Cheynio [n]) et Richerando [o]) egregie est disputatum.

Unum modo exemplum habemus, quod incisionem tracheae auxilium tulisse testatur. Scilicet Burserius [p]) narrat Anglorum chirurgum quendam, nomine Andrée infanti partem quadratam tertii et quarti annuli tracheae exsecuisse; et provenisse per hoc foramen primum materiam purulentam, deinde partes membranaceas. Sed valde dubito, an haec vera sint, neque studeam talia imitari. Fieldius quidem putat se audivisse olim hanc operationem felicem successum habuisse. Sed rem dubiam relinquit. Verba haec sunt: [q]): „I am, inquit, not certain, that it has ever been performed during „this disease, although if my information be right it has, and that „with succefs.“ Morreauius [r]) bis laryngem incidit, non destitutus felici successu; primum topiario, deinde militi. Quorum uterque tracheitide non erat correptus sed cynanche faucium. Igitur errant, qui inde tracheotomiae commodum probare student. Cooksonius ait in sua dissertatione [s]), tracheam ab aliis quoque Angliae chirurgis incisam esse, sed malo cum rerum eventu. Scilicet: „Alterum, inquit, „exemplum mihi nuper narravit chirurgus, ingeniosus Aitken. Dixit „enim, suadente medico, se tracheam tenelli incidisse, neque ulla „membranae vestigia detexisse. Bronchotomia igitur vix suadenda.“

n) l. c. Vol. II. pag. 76.

o) l. c. pag. 131.

p) Burserius, l. c. pag. 404.

q) l. c. Tom. IV. pag 160.

r) Ren. Moreau, de laryngotomia. Vid. Bartholinus de angina puerorum Campaniae, Paris 1646. pag. 132.

s) l. c. pag. 39.

Notatu dignissima sunt verba Cheynii: [t]) „I have known this operation performed in two instances, both of which were fatal, one „of them under the most favourable circumstances for the patient „was an adult.“ Etiam in nostra urbe haec operatio olim instituta est a beato Duntzio, haud prosperius quidem. Nam filius divitum parentum statim post incisam tracheam mortuus. Neque alii causae tum mors tribuebatur quam huic incisioni.

Quodsi haec commentatio Caroni in manus veniat, eum vehementer rogo, ut in praetermissa incisione tracheae principis cuiusdam acquiescat, cuius rei pag. septima mentionem fecit. Et sibi persuadeat viros ad lectum huius aegroti advocatos fuisse quos ineptum est dicere, non cogitasse de secanda trachea [u]) Nam bene sciebant, tracheotomiam saepe quidem periculo carere, sed in tracheitide non esse instituendam. Sed non miror Caronem hanc rem ignorare, quum ne cognoscere quidem nostrum morbum videatur. Quod si quis temere a me positum esse existimet, legat modo commentationem eius satis amplám (nam continet trecentas paginas). Quo facto quisque meam sententiam veram esse intelliget.

t) l. c. Vol. II. pag. 77.

u) „L'omission de l'ouverture du conduit aërien, à laquelle, dit-on, on n'a pas songé.“

2.

Est-il un traitement, qui soit propre au Croup?

Num curatio datur anginae membranaceae propria?

In universum morbum quidem ad genus inflammationum pertinere, sed nonnullis rebus, bene considerandis, excellere, supra diductius exposui. Igitur iis non erit prospera fortuna, qui omnibus idem remedium v. c. vomitorium vel sanguinis missionem vel calomel, vel senegam, adhibent. Et ammonium carbonicum a Rechovio laudatum non esse idoneum in curanda tracheitide, mox adversis et infaustis exemplis probatum iri arbitror, quippe quod contra naturam morbi prorsus non agat. Neque minus perniciosa sunt remedia antispasmodica sine restrictione quadam usurpata; praesertim si in principio morbi praescribuntur. Spasmus enim in trachea non est causa inflammationis, sed eius effectus. Neque adhuc vidi tracheitidem spasmodicam.

Caronii consilium de incidenda trachea prorsus admitti non potest *). Et profecto nullus, qui tracheitidem bene perspexit, aut cogitabit de tracheotomia aut soli incisioni fidem habebit.

Sed nolo his diutius immorari, quum ex tota mea commentatione intelligatur me illam quaestionem omnino negare.

*) l. c. pag. XXVI.

3.

Est-il un traitement, auquel on ait pu attribuer spécialement et évidemment, non-seulement le soulagement, mais la guérison, à part les circonstances favorables résultant des forces du malade, et des degrés d'intensité de la maladie, qui peuvent quelque-fois favoriser une guérison spontanée?

Num curatio existit, cui, si discesseris a viribus aegroti et variis morbi gradibus, quae nonnunquam sponte salutem adducunt, praecipue et manifesto levamen et salus sit tribuenda?

Quemadmodum persuasum mihi habeo, primum cumque levissimum gradum tracheitidis nonnunquam sponte cessare; ita magis progressam nunquam artis auxilio carere posse arbitror. Et medicus, cui contigit arte sua, quam ducentis aegrotis in principio morbi adhibuit, e triginta aut certe viginti aegrotis unum modo amisisse, hanc fortunam summo iure curationi et dexteritati suae tribuere potest. Et num dubitare licet de Olbersio, qui novies iisdem remediis unum eundemque infantem restituerit, id eius eruditioni deberi? num potest negari virtus emeticorum, hirudinum vesicantium, aliorumque remediorum, quibus supra dixi saepissime tracheitidem summo cum impetu incedentem, fugatam esse? iamne iisdem armis hosti redeunti occurreremus, si res aliter se haberet?

Quodsi vero medicus serius advocatus est neque multis eodem remedio, sive hoc adhibuerit sive illud, valetudinem restituit, tum caveat ne prius de sua arte sibi gratuletur, quam tale remedium accurate exploraverit, et in compluribus aegrotis repetierit. Nostris temporibus multa remedia ultimo stadio tracheitidis apta commendata sunt; sed temere arbitror et inconsiderate. Igitur valde providi

simus in his indagandis. Et ineptum esse arbitror ea remedia quae certe nonnullis aegrotis vitam servasse scimus et experti sumus, permutare cum novis et incertis. Ergo ammonium carbonicum, moscho, sulphuri stibiato rubro, senegae, sinapismo, substituere dubito. Etenim his remediis et ego et alii nonnullos infantes morti ereptos esse manifesto vidimus. Sed ammonii carbonici virtus est valde incerta et vereor ut nulla sit.

§. VII.

Préservation.

Quae morbi praevidendi ratio.

1.

Est-il des signes, qui peuvent faire prévoir l'invasion future du Croup?

An certa signa futuram tracheitidem nuntiant?

His, quae de morbi ratione disputavi, diligenter consideratis atque perpensis, nemini obscurum esse potest, cur tracheitidem non possimus praevidere. Alios enim morbus repente invadit, nullis signis praenuntiatus. Quibus autem a catarrho oritur, iis tracheitidem futuram esse non possumus suspicari, quoniam innumeri sunt infantes catarrho correpti, quem tracheitis non sequitur. Denique exempla illa infantum, quibus vox rauca est atque respiratio per intervalla operosa, (et singulari quidem modo, ita ut praesertim ad vesperam et noctem haec difficultas redeat), et quorum tussis catarrhalis quidem est, sed interdum sonitum tracheitidi proprium edit, haec exempla inquam non huc referenda sunt. Nam saepe in hac commentatione demonstravi, haec signa non praecedere tracheitidem, sed praesentem constituere. Idem statuendum est, si sonitus in tussiendo auditur, qualis tracheitidi peculiaris est, atque si vox rauca percipitur, licet nulla spirandi difficultas adsit. Nam respiratio nunc serius nunc prius et ex improviso quidem immuta-

tur. Unde arbitror intelligi, hoc signum ad principium tracheitidis necessario non pertinere. Et illud ipsum non dubium facio interdum hunc leviorem gradum morbi ab ipsa tolli natura, qui fortasse in exigua tantum inflammatione laryngis et praecipue glottidis est positus. At nego medicum hoc scire, et intelligere posse ex aliquo signo, morbum non ulterius esse progressurum. Nam docet experientia tracheitidem saepenumero in hoc levi gradu persistere imo videri omnino evanuisse; sed nihilominus subito et cum magno impetu redire. Et morbus quem primum tartaro stibiato vel ipecacuanha vel nonnullis hirudinibus coërcuisses, nunc saepe optimis remediis resistit. Atque ut libere profitear quid sentiam, hac in mea commentatione magni facio, quod principium tracheitidis accurate et diligenter descripsi, quale per exempla morbi intellexi.

Hanc rem multos medicos magni momenti fuisse existimatam, satis demonstrat sententia Fieldii et Doubleii. Quorum ille dicit: „It becomes therefore of the highest importance to distinguish the „symptoms of the disease as early as possible, as upon this our ex-„pectation of affording relief principally depends.“ *) Hic vero: „Comme il est évident, que la médecine réussira mieux à prévenir le „Croup, ou à l'arreter dans ses prémières periodes, qu'à le guérir: „il faut chercher par l'observation à connoître les caractères de son „état d'imminence, et à rendre aussi plus certains ceux de sa pré-„mière periode, à fin de lui opposer alors les secours de l'art.“ **)

*) Field, l c. Tom. IV. pag. 155.

**) Double, l. c. pag. 48.

2.

Est-il des moyens de le prévenir et d'en préserver?

Suntne remedia, quibus possimus tracheitidis accessum defendere et efficere ne hominem aggrediatur?

Haec res iis praecipue magni ducenda est, qui in regionibus habitant endemicae vel epidemicae tracheitidi obnoxiis. Tum enim morbi originem impedire possumus removendo vel evitando caussas, quae eum solent accendere. Igitur infantes autumni, hiemis et veris tempore a frigore defendendi sunt et vestibus siccis muniendi. Absit funestus mos teneros infantes nudos pectore et brachiis dimittendi. Absint capita nuda et resecti capilli. Unde manifesto vidi confestim catarrhum et oculorum inflammationem fuisse ortam. Ipse, quum Ienae versabar, anno aetatis vicesimo secundo inflammationem oculorum passus sum, postquam capilli nimium resecti erant. Nam Decembris fuit et frigidissima tempestas. Infantes lactentes si nebulae observantur, domi maneant, et praecipue ad vesperam. Tum enim illae graviores sunt. Haec incommoda maxime infantes aggrediuntur, qui iam alio tempore tracheitidem habuerunt. Quibus, si nebulae exponuntur, vox post unam vel alteram horam fit rauca. Praecipue tracheitis iis regionibus solemnis est, quae maribus adiacent vel stagnum continent, vel maiores fluvios. Et ut bene scio paucis tantum contingere, suos infantes hinc ablegare posse usque ad duodecimum aetatis annum, nam tum ab hoc morbo liberi esse solent; ita suadeo iis, quibus fortuna maior et liberorum salus curae cordique est, ut eos calidiori et sicciori coelo tradant. Quod eo magis commendandum est, si forte

alter infans familiae sit tracheitide extinctus. Nam antea dixi saepe plures infantes unius familiae ea corripi. In quibus quidem terris ad tracheitidem opportunis gravior catarrhus nequaquam negligatur, praesertim si cum raucedine est coniunctus. Tum, nisi alia id vetant, confestim vomitorium adhibeatur quippe quod optime catarrhalem membranae pituitosae in trachea affectionem impediat quo minus in inflammationem abeat. Quentinus *) idcirco nitrum laudat. Quod nescio an vomitorii virtutem attingat.

In his omnis nititur ars qua potest morbus praeverti. Neque enim alia sunt remedia ad infantes a tracheitide tuendos idonea.

Celeberrimi Alphonsi Le Royii **) sententiae, posse nimirum tracheitidem praeverti, iis remediis quae debilitati cum totius corporis tum pulmonum prospiciunt, nonnullae dubitationes obstare videntur. Nam qua prius, robustos infantes non minus quam debiles tracheitide corripi observamus. Qua posterius non videntur mihi organa respirationis in infantibus debilia esse, tametsi non omnino sunt corroborata. Et quanquam non diffiteor inveniri remedia, quae hanc infirmitatem tollant; tamen non est demonstratum, tracheitidem magis infestam esse infantibus, quorum organa respirationis debiliora sunt. Equidem plures etiam hoc morbo correptos vidi, in quibus illae partes bene valebant.

Denique commemoranda est res quae, etiamsi ad praecavendam tracheitidem nihil conferat, tamen eius periculum imminuere potest. Nimirum huius morbi notitiam magis divulgandam esse censeo. Quam ob rem ante nonnullos annos commentationem de hoc argumento edidi. Unde arbitror cives nostros didicisse, tracheitidem, quam

*) In Hufelands Journal Vol. IX. Sect. 3. pag. 192.

**) Du mal de gorge des enfans. Revue philosophique et litteraire. Tom. III. trim. Août 1807.

diu catarrhum suffocativum (den Stickflufs) appellaverant, in principio cognoscere et distinguere. Et bene intellexerunt in hoc morbo gravissimum esse illud praeceptum: *venienti occurrite morbo!*

Nuper Des Essartesius, Goelisius et Wolffius, viri de re medica meritissimi, commentationes de tracheitide infantum ediderunt, laude dignas. Et uti multorum parentum ardentes gratias de restituta salute liberorum accepisse laetor; ita his viris doctrinae et diligentiae praemium non deerit.

Singulorum, qui nobis oblati, casuum morbi enarratio.

I.

Anno 1800 die 11. Octobris mulierem visum veni metrorrhagia laborantem, apud quam dum commorabar, filiam eius quadriennem haud valde robustam tussis invasit, cuius sonitus memorabilis tracheitidem haud dignoscere pateretur. Mater de filiae sorte haud sollicita, e pluribus iam diebus eam tussivisse retulit, sed a tempore matutino inde peculiari demum sonitu illo tussim excellere sibi visam esse. Quo certior mea staret diagnosis, aliquantum temporis adhuc remanebam, quo pluries quidem tussis aegrotam accessit, a catarrhali vero quoad sonitum haud diversa. Plurimis iam edoctus exemplis morbum, quem suspicarer, clarissimis distinctum prodire symptomatibus horam tertiam inter et quartam pomeridianam, aegrotam isto tempore revisere constitui, neque incassum. Reduci enim confirmata plane de morbo ante dubio diagnosis. Dum puellam in matris gremio positam simulque dormientem pluribus vicibus tussis accederet, facies pallida et tumida labia subcaerulea, carotidum pulsus fortiores observati; inspiratio peculiari quodam sonitu, fere sibilanti, notata; vox ita rauca, ut verborum, quae faceret, fere nihil percipere posses. Quem tussis sonitum cum illo

optime comparaturus sis, quem a canibus audire adsolet, dum gramen aut aliud quid noxium, quod devorassent, vomendo respuunt. Pulsus arteriarum frequentes, duri, nec pleni. Ciborum, quorum nihil adsumeret, ac potus deglutiendorum summa difficultas. Quibus omnibus observatis tres illico hirudines applicari, decoctum rad. Senegae, (drachma quidem eius una ad quator unciarum colaturam usque cocta, Syrupique Althaeae uncia una admixta) et alternis insuper horis grani dimidium hydrargyri oxydulati nigri saccharo attritum porrigi iussi. Ex quo hirudinum morsus nihil sanguinis amplius funderent, emplastrum vesicans collo anteriori imposui, quo simul morsus illi tegerentur. Proximo mane iam respirandi difficultas multo minor in puella observata, quae in ancillae gremio resedit, tussis modo eadem permansit. Pulsus arteriarum aliquanto tardiores, perquam exigui. Quatuor per singulas horas fere semper vomitus excitatus, non quidem pulveribus, quas retineret, sumtis sed hausto Senegae decocto, cuius radicis copiam hinc ad dimidium prioris quantitatis restringerem. Neque nunc vomitus omnis siluit, quoties decocti illius haustum sumsisset. Pulveres mercuriales per totum diem continuati. Hora tertia pomeridiana respiratio aegrotae ita oppressa erat, ut eam a matre sejunctam in aliud conclave transportari curarem, de propinqua infantis morte haud dubitans. Versus vesperam status ejus aliquanto melior prodibat, sopore quidem diminuto. Quoties vero pulsus arteriarum in manu exploratum ibam, lacrymabat. Nutrix per duas horas magna pituitae viridis frustra eum reiecisse retulit, quae in pelvi collegerat, in quibusque cum summo gaudio lympham plasticam in arteria aspera exsudatam agnoscebam. Sequenti mane omnis respirandi difficultas sublata; vox tamen adhuc rauca, perceptu difficillima et tussis sono adhuc illo notata, quem pathognomonicum tracheitidis signum

statuimus. Die mercurii iam plasticae lymphae nihil amplius reiecit, sed pituitam non nisi albam. Vires quamvis valde prostratae mox resurgebant. Vox rauca per plures adhuc hebdomadas remansit. Tussis intra paucos dies evanuit. Ad vesperam diei lunae usque pulveres ex hydrargyro oxydulato nigro paratos continuari jussi, granis viginti quatuor jam sumtis. Nec vestigium salivationis ullum extitit, neque hunc hydrargyri usum diarrhoea secuta. Quotidiano contra enemate sedes aegrotae eliciendae erant.

Epicrisis.

Huic non admodum firmae puellae, ut iam supra observavi, statim post sanguinis emissionem, decoctum Senegae praescripsi, ut effectum remedii hujus, a medicis Americanis tantopere laudati, explorarem. Sin aegrota fuisset robusta et sana, remedium hoc valde incitans profecto non statim adhibuissem, metuens, ne characterem sthenicum inflammationis eo augerem. Ceterum persuasum mihi est, Senegam hic nihil nisi vim emeticam exseruisse, qua lympha plastica extrudebatur, itaque haud dubie salutem huius infantis procurasse. — Observandum adhuc est, eundem infantem exacto anno, et quidem eodem die, eodem morbo correptum essse, non tam violenti, quam prima vice, atque idcirco bonis avibus fuisse sanatum.

II.

A. XII. calendas Decembres anni 1800 die Veneris quidem infans haud infirmae valetudinis isque bimus tussi corripiebatur, quam febre sat vehementi simul stipatam parentes tamen a solemni tussi

catarrhali haud diversam describebant. Altero vero morbi modo nati die quum tussis peculiarem iam ederet sonitum, qui tempore pomeridiano ad vesperam usque increscerot, auxilium meum a parentibus quavis fere hora anxie sollicitatum. Quum hora demum septima vespertina, ab aegroto ab urbe valde remoto redux ruri factus, precibus eorum satisfacerem, infantem in gremio matris plorantis positum somnoque oppressum vidi. Faciem eius observabam rubicundam subtumidam, labia colorem subfuscum prae se ferentia, respirationem difficillimam, cum sono inspirationis sibilanti coniunctam, tussim haud admodum frequentem, latratui canis adulti raucedine laborantis optime comparandam, febrem ardentem, charactere Synochae notatam, licet pulsus arteriarum celerrimi, exiles et contracti contrarium fere febrium genus innuere viderentur. Infans per totum diem nihil comederat et potum fere omnem aversabatur, propterea quod deglutitu difficillimus esset, et vomendi conatus fere semper moveret. Tribus hirudinibus in anteriori collo positis, quorum morsibus sanguinis missionem per aliquantum temporis liberiorem concederem, emeticum e tartaro stibiato paratum suppeditari iussi, quo sumto pluries vomitus excitabatur. Circa horam inde nonam respiratio aliquanto melior visa, vox autem haud multum mutata. Vires infantis fere prostratae iacebant; facies eius pallida, pulsus arteriarum perquam exiles et frequentes. Experientia edoctus medicamina iam propinanda esse, hunc fere pulverem noctu sumendum praescripsi:

Recipe: Hydrargyri oxydulati nigri granum unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in sextuplo. S. Horis alternis pulvis detur unus.

Mane proximo mater referebat respirationem post mediam noctem

multo faciliorem processisse, tussim haud adeo frequentem, somnum tamen parciorem et valde inquietum. Faciem observabam adhuc pallidam et pulsus arteriarum perquam exiles et frequentes. Licet horae quadrantem exspectarem, tussis tamen omnis siluit nec postea excitata, donec infans plorare inciperet. Iidem pulveres continuati. Versus horam quartam pomeridianam infans qui per omne tempus antemeridianum vegetior crepundiis suis aliquoties lusisset, somnolentus comparuit, respirationem ostendit acceleratam, tussimque crebriorem cum sono valde crepitanti. Potum deglutitu quidem faciliorem, parcum tamen non nisi hauriebat. Pulsus arteriarum adeo frequentes erant, ut numerum eorum emetiri non possem. Pulveribus adhuc continuandis, hoc senegae infusum adiunximus:

Rec.: Infusi rad. Senegae e scrupulo uno parati uncias quatuor
Mucilaginis gummi arabici
Syrupi Althaeae ana unciam semis
M. D. S. Horis alternis cochlear maius porrigatur.

Quod infusum quum alternis vicibus cum pulveribus ante laudatis praescripta copia suppeditatum fuerat, mater mane proximo statum infantis iam versus mediam noctem in meliorem rediisse edixit, quem ipse quoque talem observabam, ita ut, nisi pluribus iam exemplis iisque funestis morbum hunc lethalem et permultis stipatum vitae insidiis cognovissem, salutem infantis recuperatam mihi gratulatus fuissem. Vesperam vero oppertus, febri aliquantum modo aucta, eundem vidi aegrotum atque tempore matutino. Respirandi ac bibendi facilitas eadem, tussis rarissima cum eodem fere sono coniuncta, quem ante habebat, vox adeo rauca, ut quae verba faceret infans, intelligi non possent. Nulla hydrargyri oxydulati nigri usum, cuius a nona inde hora vespertina diei saturni usque

ad proximam noctem grana octodecim infans sumsisset, salivatio secuta, alvus autem bis per solis ac lunae dies soluta. Senegae infuso vomitus semper creatus, licet exigua radicis copia parato. Quae infans per vomitum reiecerat, in iis iussu meo studiose collectis, lymphae plasticae nihil repertum. Die lunae respiratio omnino sana observabatur, neque omnis infantis status in deteriorem iterum unquam conuersus. Raucedo tantum et sonus tussis peculiaris per octiduum adhuc permanebant, quae symptomata linctu e sulphure stibiato aurantiaco parato prospere tandem fugata.

III.

Ante XI. calendas Quintiles anni huius saeculi primi, puer unius anni robustus morbillis correptus, per epidemiam huius morbi tunc temporis hic grassantem, quem in isto tamen puero haud mala symptomata concomitabantur. Ante quartas calendas Quintiles inopinata superaccessit raucedo, atque tussis hucusque parum vehemens per singulas fere horas exasperata, adeoque peculiarem edebat sonum, ut curatrix aegroti timore quodam correpta post horam decimam vespertinam me arcesseret oraretque vt linctum pectoralem aegroto praescriberem. Proximo solis die nihil ad me de puero relatum. Lunae illo, 30 Junii, hora matutina sexta mater eius lacrymis precibusque me urgebat, ut illico secum puerum inviserem, in periculo versantem, ne quovis momento suffocaretur, qualem ipse revera deprehendi. Vox eius erat adeo rauca, ut ne unum quidem verbum, quod prolaturus esset, intelligere possem, sonus in tussiendo ac respirando in tracheitide usitatus; attamen stertores alternatim aut vehementiores aut leniores; musculi abdominales violenter

trahebantur. Pulsus arteriarum admodum exiles erant sed non frequentes, ut quovis temporis momento septuaginta modo pulsus enumerare possem. Reliquus rerum status summum virium indicabat defectum. Emeticum e tartaro stibiato paratum praescripsimus, cuius auxilio, quantum nutrix adseverabat, aliquantum pituitae viridis coloris evacuabatur. Respiratio inde facilior reddita atque sonus ille tussis peculiaris, de quo antea diximus, siluit omnis. Post datum emeticum, horis alternis hydrargyri oxydulati nigri granum unum cum sacharo tritum aegroto porrigebatur, simulque collum emplastro vesicanti circumdatum. Proximo die symptomata prodibant aliquantum meliora, nec respiratio tam anxia amplius observata, licet perquam difficilis; cuius phaenomeni ratio haud dubie in eo quaerenda erat, quod in quavis tussi pituitae aliquantum resolvatur, quod noster quidem aegrotus non reiiceret sed deglutiret. Bis per alvum feces posuit pituita mixtas. Pulveres inde hydrargyro oxydulato nigro parati, eadem dosi continuati, aliquanto tamen opii admixto. Quum horam versus sextam vespertinam respiratio stertorosa magis incederet, emeticum ex ipecacuanha propinatum, quo post graves vomendi conatus duo frusta sat magna pituitae pallidioris et viridis eiecta, in quibus a matre in phiala adservatis membranas sic dictas agnovimus. Nec quidquam aliud cum iis eiectum. Respiratio facilior continuo processit, loquela rediit, verbis tamen ipsis ob summam quae perstaret, raucedinem intellectu difficillimis. Continua, quae sequebatur nocte multa adhuc per tussim crebriorem sputa eiecta, quorum natura a duobus frustis illis per vomitum expulsis haud multum recedebat. Altero mane puer erectus in lectulo sedens ludebat, respiratio fere sana, tussis rarior, per quam parum aut fere nihil eiectum, et verba, quae rauca proferebat voce, intellectu faciliora erant. Mercurii

usus adhuc continuatus, quo sedes duae liquidiores productae, cum iisque vermis simul eiectus. Quum ad vesperam respiratio denuo stertorosa incederet ipecacuanhae pulvere, quem praescripsimus, multum fluidi aquoso - pituitosi evacuatum, in quo lymphae plasticae frustula clare discerni possent. Exinde omnis rerum status multo melior processit, raucedine tamen viriumque languore diu perstantibus. Granis licet hydrargyri oxydulati nigri viginti quatuor consumtis, nec diarrhoeam neque ullam salivae iacturam aegrotus noster expertus. Ex quo ultimum hausisset emeticum, sat magnam radicis senegae infusi copiam, cui sulphur stibiatum rubrum ac liquiritiae extractum adiuncta, sumi iussimus; nec medicaminum aliud quid ut postea assumeret,. ab aegroto impetrari potuit.

Epicrisis.

Quo exemplo, quantum ipse putaverim, usum hydrargyri in hoc morbo specificum nec minus emeticorum repetitorum effectum ad tollendam quae per illum exsudatur, lympham edocemur, ut pote quibus prae ceteris aegrotus noster servatus videatur. Si tum temporis salutarem camphorae cum sulphurae stibiato rubro iunctae effectum iam experti fuerimus, illis ipsis medicaminibus continuo adhibitis tot emeticorum, quae a nobis propinata, usu supersedere forsan potuissemus.

IV.

Per integrum mensem Decembrem anni 1802 tempestas fere semper humida ac nebulosa perstabat, paucisque tantum diebus exiguum obtinebat frigus. Die huius mensis 22 ad vesperam tanta repandebatur graveolens nebula, ut quae in plateis obvia darentur, vix possent discerni, qualis nebula Anglis a Scottish mist (nebula Scotica) dicitur. Hac ipsa nocte puella sesquiennis, caeterum sana et robusta somno repente excitatur, et raucedine tussique continua multum agitatur. Quae symptomata quum proximo mane perstarent ac tussis propria parentum moveret, attentionem, Schmidtius iunior, chirurgus apud nos solertissimus, qui forte praeteribat, ab iis appellatus, auctor extitit, ut medicum illico arcesserent, ob summum, quod declararet, morbi huius probe perspecti periculum. Quum hora pomeridiana secunda visum puellam venibam pater brachiis suis eam circumgestabat ob tantam quidem respirandi difficultatem, per quam puella inspirans et sibilantem ederet sonum et in cunis iacere constanter renueret. Continua simul vexabat eam tussis sono tracheitidi proprio notata, quem quoad auditum cum nullo alio sono melius comparaverim, quam cum latratu canis senescentis eiusque rauci e genere mopsorum. Vox eius tam rauca erat, ut clamor eius vix exaudiri posset; facies rubicunda et tumida; pulsus arteriarum frequentes et aetatis respectu sat pleni; deglutiendorum tam fluidorum quam solidorum difficultas nulla. Tribus quas collo applicari iussimus hirudinibus multum sanguinis spoliatum, emetica vero ipecacuanhae vi, quam adiunximus nil nisi pituitae aliquantum eiectum. Reduci aliquot horis post ad invisendam puellam respiratio multo melior mihi visa, tussis vero una cum reli-

quis symptomatibus haud immutata. Qua propter hunc praescripsimus pulverem:

Recipe: Hydrarg. muriatici mitis gr. vjjj
Camphorae grana tria
Sachari albi scrupulos octo.
M. Divid. in partes octo aequales
D. S. horis alternis pulvis unus suppeditetur aegrotae.

Praeterea horis ternis scrupulum unum unguenti ex hydrargyro cinereo parati in variis corporis locis infricandum et post suppressam sanguinis ab hirudinibus iacturam vesicatorio collum circumdandum curavimus. Die 24 mater nobis mane referebat, puellam sat quietam quidem tanta tamen cum difficultate respirasse, ut ipsa saepius ne suffocaretur ea, metuisset. Nos ipsi respirationem multo magis impeditam atque pridie deprehendimus, tussim rariorem sed quoad sonum eundem specificum. Medicamina eadem continuata. Post meridiem status rerum fere idem, modo quod puella facilius respiraret et in cunabulis reposita dormiret. Versus vesperam omnia in peius ruebant, minori tamen in gradu atque primo mane, ita ut puella in cunis recumbere posset. Die 25 respiratio multo facilior processit. Tussis rarior vix bis, cum forte ploraret, me praesente eam accessit, atque sonus eius etiam obtusior, quo lympha quidem plastica, quantum et postea observabam, a membrana pituitosa separatum iri videretur. In iisdem remediis persistitur. Die 26 puella optimam sese habuit, ut quae maximam noctis partem somno transegisset, et hominis fere sani in modum respiraret, nisi fortuito aliquo casu commota ploraret. Sonus tussis catarrhalem illum perquam retulit, et lymphae plasticae aliquid protrusurus semper videbatur, cuius puella tamen ipsa nihil eiiceret.

Nec vox adhuc tam rauca erat, clamorque infantis fere naturalis. Medicamina eadem atque hucusque accurate suppeditata. Quum die 27 respiratio fere naturalis et tussis quoad sonum fere catarrhalis observarentur, pulverum praescriptorum horis alternis unum tantum porrigi omnemque unguenti ex hydrargyro cinereo usum mitti iussimus. Diarrhoea inde procreata nulla, haud dubie ob camphoram hydrargyro adiunctam. Die 28 morbosi nihil superfuit, raucedine quadam, tussi ac virium languore modicis exceptis. Quapropter linctus sequentis usum per aliquot dies commendavimus.

Recipe: Camphorae gr. tria
Sulphuris Stibiati rubri gr. quatuor
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. Fiat linctus ~~linctus~~ lege artis, D. S. Horis alternis cochlear sumatur minus.

Erosi per emplastrum vesicans loci unguentis demum idoneis penitus sanati.

Epicrisis.

Quum morbus iste puellam nostram inopinatam oppresserit, spissior illa nebula ansam ei praebuisse omnino videtur. Externum hydrargyri usum interno illi adiunximus, tum ut de medicaminis huius viribus vere convinceremur, tum postea, ut vehementiorem devitaremus diarrhoeam per solum internum eius usum magis timendam. Quodsi iam mecum concesseris, hydrargyri usum non nihil contribuisse ad salutem aegrotae restituendam, per diarrhoeam prospere devitatam, Autenriethii opinio de hydrargyri in tracheitidem agendi modo, siquidem salutaris sit eius usus, simul corrigitur.

V.

Puer novem mensium validus vegetusque antequam morbus nasceretur completus, ultra octiduum tussi laborabat catarrhali, qua per sulphuris stibiati rubri usum liberaretur. Quum tempestate perquam frigida, qualis a. XII. calendas Maias anni 1804, aquilone iam diu spirante erat, infans multum sub Iove gestaretur, vox pueri die vicesimo mensis eiusdem, Veneris quidem illo rauca comparebat, nec minus tussis ac sternutationes frequentes superaccedebant. Nihilo secius coelo frigido pluries iterum expositus mox respirandi sentiebat difficultatem. Quae symptomata, raucedo inquam, tussis et catarrhus cum die Saturni, 21, perstarent, parentes minus hucusque de statu filii solliciti, versus vesperam me arcessendum curarunt. Vocem eius observabam inde penitus raucam, tussim crebriorem, profundius tamen magis quam acutius resonantem, interdum etiam talem, quem a solita tussi catarrhali distinguere non possem. In respirando aliquem infantis nisum et subinde sonum quendam crepitantem percepimus, pulsus arteriarum frequentes sed exiles, calorem corporis adauctum et sitim vehementem. Emeticum abhinc ita praescripsimus, ut grani unius tartari stibiati in uncia aquae soluti cochlear minus quovis horae quadrante instillaretur, donec vomitus suscitatus fuisset. Respiratio multum eo levata, licet infans pluries vomendo nil nisi infusum chamomillae, secundandi vomitus ipsius in finem iussu nostro suppeditatum reiecisset. Quo facto tres collo apposuimus hirudines, a quibus quidem ipsis haud multum sanguinis esorberetur, quorum autem morsibus noctu multo largior mitteretur sanguis, alteraque vice posthac proflueret (quantum saepius a nobis observatum), mox tamen inhibendus. Collum vesicatorio circumdatum quod proximo mane efficacissimum extitit; abdomini cruribusque

unguentum hydrargyri cinereum horis ternis infricatum, aegrotoque hoc medicamen a nobis praescriptum:

Recipe: Sulphuris stibiati rubri gr. duo
Camphorae gr. tria
Mucilaginis gummi arabici semi unciam
Syrupi Althaeae unciam unam
M. fiat linctus l. a. D. S. Horis alternis cochlear minus.

Noctu respiratio nunc melior nunc deterior per vices observata. Eundem ambiguum rerum statum solis die, 22 Aprilis diversis deprehendimus horis, quibus aegrotum visum venibamus. Tussis eum tam vehemens aliquando accessit, ut vomitu inde exorto lymphae plasticae aliquantum expelleretur. Pulsus invenimus frequentes, faciem vero infantis licet gravem sanguinis iacturam experti, integram adhuc sanamque. Quod me praesente evomeret parum lymphae plasticae, lentis magnitudinem referebat. Respiratio quam omnis reliquus aegroti status sequeretur per integrum diem nunc melior nunc peior procedebat, ita ut nunc sani infantis in modum puer luderet nunc plus minusve somnolentus iaceret. Versus vesperam autem respiratio perquam impedita, sonora magis, puerque continuo fere somno oppressus. Qua propter recens vesicatorium pectori impositum et praeter superiorem linctum alius simul a nobis praescriptus, cuius alternis cum illo vicibus, horis quidem ternis cochlear etiam minus propinaretur:

Recipe: Gummi Ammoniaci semi scrupulum
Oxymellis squillitici
Mucilaginis g. arabici ana drachmas duas
Syrupi Althaeae unciam unam
M. F. l. a. linctus D. S. horis ternis cochlear minus.

Noctu respiratio ita impedita erat, ut parentes aliquoties certam infantis mortem metuerent. Proximo lunae die, idem rerum status valde ambiguus, respiratio modo melior modo peior, tussis modo acuto intonuit sono, modo in aliquanto lymphae plasticae solvendo haerere videbatur. Inspirationem praeter omnem consuetudinem observabam hic profundam, exspirationem alte resonantem. Ad vesperam symptomata omnia peiora incedebant, continuo puer oppressus iacebat torpore, pulsus arteriarum haud frequentiores atque pridie sentiri poterant. Qui rerum status haud diu tamen perstabat, spirandi quidem difficultate versus vesperam admodum increscente. Quando tussiebat puer, sicut per integrum morbi decursum, lacrymis dolores a se perceptos significabat. Pulsus nunc celeriores evadebant, facies pallida, labia livida, venae capitis tumidae; aegrotus ipse per totum fere diem tanquam tetano oppressus in cunabilis iacebat, ut in quo solo corporis situ respirare posset. Iactando eo nunc hic nunc illic et corripiendo, quod interdum maximo cum virium nisu faceret, summam animi declarabat anxietatem. Per somnum palpebrae ad dimidium bulbi modo clausae erant, bulbique ipsi introrsum et sursum retorti. Cum ad horam sextam iamiam mortem metuerem, caput aegroti manus et pedes frigerent, caput ipsum viscoso quodam sudore obtectum esset, pulsus arteriarum vix sentirentur, respirationis sonus valde sibilans, tussis fere omnis cessasset et inanes tantum tussiendi conatus quidam interdum prodirent; tracheotomia, quam mater exoptaret a nobis constanter reiecta, confestim plantis pedum sinapismos imponi aegrotoque per horas primum, granum Moschi unum porrigi, tum alternis tantum horis eandem Moschi dosin et linctum illum supra memoratum, camphora quidem sulphureque stibiato rubro coniunctis, propinari, gummi autem ammoniaci usum seponi iussimus.

Aliquot horis post omnis aegroti status multo melior evadebat, praeter respirationem adhuc impeditam, quae tamen post mediam noctem liberior procedens pueri statum ad tempus matutinum usque multum levaret. Die Mercurii, vicesima quinta Aprilis, horam septimam matutinam versus statum infantis haud adeo tristem quidem reperimus, quam praecedente vespera, respirationem autem, cum tam terribili nisu incedentem, ut parentibus exiguam tantum salutis recuperandae spem excitare possem. Sinapismi votis responderant, medicamina reliqua continuata. Versus meridiem puer aliquantum sui compos factus, sopore quidem diminuto, ita ut, licet summa respirandi difficultas obstaret, horologium ipsi porrectum saepius tamen contrectaret. Quae tamen omnia versus horam quartam pomeridianam in peiora ruebant, spirandi difficultate ad summum gradum adaucta. Quum editus per respirationem sonus crepitans mihi persuaderet, sat grande lymphae plasticae frustum in arteria aspera solutum fluctuare, quo per vomitum eiecto saltem aliquam vitae moram lucraturus essem, emeticum parentibus commendare suscepi, tanquam unicum forte servandi aegroti remedium. Consentientibus lubenter parentibus, qui quovis medicamine recens proposito ad recentem salutis aegroti obtinendae spem excitarentur, quam iam abiecissent, praescripsimus:

Recipe: Tart. stibiat. gr. unum cum dimidio
Solv. in aquae destillatae unciis sesqui
D. ad vitrum

cuius solutionis quinis denis minutis cochlear minus propinaretur. Licet vomitum sat largo chamomillae infusi potu secundandum curarem, ultra horae dimidium tamen praeterlapsum, antequam ille sumptum pulverem emeticum insequeretur, neque nunc quidem for-

san insecuturus esset, nisi infantem per aliquantum temporis in conclavi circumgestari iussissem, utpote quo corporis motu emeticorum effectum promoveri expertum haberem. Quo facto vehementi vomitu eoque iterato satis magna lymphae plasticae frusta, quantum candide testari licet, expellebantur. Peracto vomitu ipso puer haud debilior quidem, post horae quadrantem autem respiratio fere omnis suppressa videbatur, ipseque adeo infirmus, ut caput eius e cunabulis sublati et in gremio meo repositi tanquam mortui nutaret. Pulsus arteriarum insuper tardissimi et intermittentes tangebantur. Haud inficias eo, me iam ultimum illud emeticum iussu meo suppeditatum mihi ipsi exprobrasse, veritum, ne mors, quae ceterum in evitabilis videretur hoc ipso tamen medicamine accelerata fuerit. Per singulas nunc horas moschi granum unum exhibitum, quo hora tandem decima voluptas nobis parta, quod puerum ad meliorem atque ante datum emeticum, frugem reductum videremus. Alternis inde vicibus moschum et linctum illum e camphora et sulphure stibiato rubro paratum porrigi iussimus. Die Iovis, vicesima sexta Aprilis, tempore matutino puerum non solum vivum, sed revera meliori valetudinis statu gaudentem reperimus, quam precedente vespera. Somnolentia per totum diem multo minor, respiratio minus impedita, tussis frequentior erant, ex eiusque sono lymphae plasticae aliquantum denuo resolutum esse colligi poterat, cuius nihil tamen eiiceretur. Circa meridiem post largam ptisanae hordeaceae copiam avide haustam puer bis vomuit, et maiora etiam quam pridie secreta lymphae plasticae frusta proiecit. Medicamina inde omnia continuata. Proximam noctem infans tranquillam pluresque eius horas somno transegit. Die Veneris vicesima septima eiusdem mensis, respiratio tanto melior processit, ut vix spe mea confiderem, talisque perseverabat, licet aliquantum

adhuc crepitans, ut de recuperata infantis salute amplius dubitari non posset. Hinc unguenti mercurialis usum mitti iussimus, propterea quod et abdomen et femora et crura pustulis obsita essent, quales plerumque post crebriores eiusmodi frictiones observantur. Mater et magis etiam nutrix, quae utraque alternatim frictiores illas in se susceperant, de dolore oris conquestae, quo circumspecto gingivae tumidae nobis offerebantur. Utraque dein sat gravem salivationem experta. Cuius morbi in aegroto ipso vestigium nullum detegi posset. Nec sedes istius medicaminis usu (unciae fere duae cum dimidia per frictiones adhibitae erant) promotae, sed enematibus contra eliciendae fuerunt, neque in iis aeque atque in lotio misso per integrum morbi decursum aliquid morbosi observatum. Sonus tussis in catarrhalem plane mutatus, et raucedo pedetentim imminuta post octiduum penitus evanuit. Summus virium languor per morbi decursum explicatu facillimus est, ob quem moschi usum haud statim intermitti, sed una cum sulphure stibiato rubro per plures dies continuari, postremo solum medicamen ultimum syrupo lichenis Islandici nuptum ad perfectam sanitatem usque adhiberi iussimus.

Epicrisis.

Equidem putaverim hanc morbi enarrationem vario respectu dignissimam notatu esse, eaque nos edoceri ad quem terribilem gradum morbus iste in infante tenerrimo evehi possit. Morbus non solum tempore matutino et vespertino distincte exasperatus aut remissus prodiit, sed plures eiusmodi vicissitudines interdiu observatae ob mutatam haud dubie lymphae plasticae formam. Licet sat magna eius frustra puer reiecerit, ad salutem tamen ipsam restituendam ea multum contribuisse affirmare non ausim. Quoad curationem morbi haec nobis tantum animadvertenda. In infante licet

tenello, sat vegeto tamen sanoque synochae characterem morbus haud dissimulare videbatur, ob quem sanguinis missiones maxime necessarias duximus. Qui post emetica et applicatas hirudines nullus fere manifesto prodiret salutaris effectus exinde profecto deducendus est, quod, quantum valde molesta respiratio, et crepitans eius sonus, iam in prima aegroti visitatione probarent, permagna lymphae plasticae copia in hoc infante quam citissime exsudata fuerit. Quam die solis ad vesperam praescripseramus gummi ammoniaci in oxymele simplici solutionem, ea nunquam in posterum usuri sumus, ut quae tam hic quam in alio quodam casu spem omnem fefellisse videatur. Emeticum quod die Mercurii ad vesperam propinatum, non solum nullius erat usus sed quantum ex insecutis illud symptomatibus iudicari licet, potius noxium, praeter omnem nostram opinionem, sat magnis quidem lymphae plasticae frustis per id expulsis. Moscho autem abhinc suppeditato puerum prae primis conservatum esse persuasissimum nobis habemus.

VI.

Ante decimas Idus Februarias anni 1805 idem puer, de quo modo diximus, e frigido conclavi in calidum repente translatus proxima nocte raucedine aliqua tussique correptus est, cuius sonus catarrhalem plane referebat. Febri omni deficiente, cum infans alacrem vegetumque sese adhuc haberet, hunc modo praescripsimus linctum:

Rec.: Syrupi Altheae unciam unam
Mucilaginis Gummi arabici semiunciam
Sulphuris stibiati grana quatuor

M. F. linctus. l. a.

D. S. horis alternis cochlear minus sumatur.

Veneris et Saturni diebus ante meridiem idem perstabat infantis status; ad vesperam autem raucedo multum increvit, sonus tussis in tracheitide solemnis, respiratio accelerata, haud impedita tamen, facies rubicunda et tumida, coniunctiva bulbi exiguo tincta rubore, integrum corpus calidum, sitis pueri tanta, ut plura pocula ptisanae hordeacae uno hauriret tractu, pulsus arteriarum frequentes ac pleni comparebant. Quibus observatis emeticum e tartaro stibiato confestim propinari peractoque vomitu tres hirudines collo applicari iussimus linctumque sequentem suppeditari:

Rec.: Camphorae
Sulphuris stibiati rubri ana grana tria
Mucilaginis Gummi arabici semiunciam
Syrupi Althaeae unciam unam
M. F. linctus. l. a.
D. S. horis alternis cochlear minus detur.

Quae medicamina promptum admodum praestitere auxilium, respirationis quidem velocitate ac difficultate post duas iam horas et inprimis post mediam noctem diminutis, qua infans copiose transpirasset. Proximo mane autem ante nonas Idus Februarias, cum raucedinem tussemque in tracheitide solemnem easdem adhuc atque praecedente vespera, et respirationem licet parum difficilem crepitantem tamen et sonoram deprehenderem, vesicatorium collo applicandum et linctum, quem ante praescripseram, continuandum curabam. Ob alvum per viginti quatuor horas non solutam emolliens simul enema iniectum. Per integrum diem reliquum infans admodum exhilaratus comparuit et respiratio, si ab eius sono discesseris, fere naturalis, febris vestigium plane nullum praeter pulsum arteriarum aliquanto acceleratum. Ad vesperam autem seram, respi-

ratio multo difficilior, febris vehementior procedebant, copioso sudore stipata, quorum symptomatum malorum nihil mane perstabat. Ante octavas Idus Februarias aegrotus tanto cum nisu respirabat, ut per somnum vel extra cubiculum exaudiri posset. Facies eius pallidior, pulsus arteriarum exiles, perquam frequentes, cutis calida et sicca, sitis adaucta observabantur. Alterum nunc imposuimus collo vesicatorium, et paulo superius quidem atque primum illud, quod per errorem chirurgi iusto inferius thoraci fere impositum fuisset. Horis insuper alternis abdomini, dorso et cruribus unguenti hydrargyri cinerei drachmam semis infricari, linctum supra memoratum continuari iussimus. Nona mensis eiusdem die tussim haud tam frequentem sonumque eius interdum talem observabamus, tanquam lymphae plasticae aliquantum in arteria aspera resolutum existeret; respirationem aliquanto tardiorem peractu tamen eandem gravem atque pridie. Ad vesperam puer multum iactabatur, respiratio maxime impedita graviter intonuit, pulsus arteriarum minimi, frequentissimi, facies pallida, livida, omnis aegroti status per singula intervalla talis irtercedebat, ut maxime sollicitus de eo discederem. Eo maius nostrum fuit gaudium cum proximo mane decimo mensis eiusdem die hora octava respirationem longe faciliorem (qualis largiori corporis sudore versus diluculum producta fuerat) faciem non adeo pallidam, pulsus arteriarum aliquanto minores quidem, sed non iusto frequentiores, puerum ipsum cibos appetentem hilarique cum animo ludentem deprehenderemus. Licet hic exoptatus aegroti status postridie perstaret, quo tussis sonus aliquantum lymphae plasticae in arteria aspera resolutum significabat, quod puer promoveri modo non posset, linctum illum e camphora et sulphure stibiato rubro paratum continuari; horis tamen modo ternis porrigi iussimus, ne somnus infantis turbaretur. A. IV. Idus Februarias

respiratio mane facilior, qualem nunquam videramus adhuc, circa meridiem difficilior iterum incedebat, ita ut humeri violentius sursum ac musculi abdominales introrsum traherentur. Tussis ipsa parca cutis, frigida magis, quam calida, viscosoque sudore obducta, pulsus arteriarum minimi frequentissimi observabantur. Quapropter haec praescripsimus:

Eec.: Moschi optimi granum unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in octuplo, S. horis alternis pulvis unus sumatur.

Qui pulvis aegroto alternis cum linctu supra memorato vicibus suppeditatus. Ad vesperam puerum dormientem et respirationem aeque molestam reperimus. Decima tertia mensis die statum eius praeter morem pacatum vidimus, respirationem facillimam, tussim tamen crebriorem, cuius sonus denuo aliquid ab arteria aspera revulsum significaret; febrem omnino nullam puerumque ipsum perquam hilarem. Quapropter linctum modo supra memoratum exhiberi, frictiones mercuriales mitti iussimus omnes. Ad vesperam exacerbatio morbi nulla comparuit, nox quiete transacta, raucedo in dies diminuta tussisque sonus catarrhali proximus post paucos dies plane evanuit.

Epicrisis.

Qui casus solus sufficiat ad refutandum Autenriethii errorem, nullum infantem tracheitide bis corripi, nisi plures iam medici mecum idem experti essent. Notatu dignissima in eo vehemens illa morbi exacerbatio est, cira meridiem die Mercurii repente exorta,

eamque secuta postridie aeque cita atque continua eiusdem remissio, quam non nisi a spasmo posthac cessante deduxerim; qui tamen spasmus non tam ad auctam inflammationem quam ad lymphae plasticae mutationem quandam referendus sit. Nec dubitamus, quin hic quoque puer medicaminibus a nobis praescriptis suam debeat salutem. Monendus autem nobis adhuc lector est, anno 1806 mense Augusto eundem puerum scarlatina correptum tracheitidis symptomata tertium expertum esse, multo tamen leviora.

VII.

Anno 1806 ante quartas nonas Maias puer quatuor annorum coriarii nostrae urbis filius vulgari tussi catarrhali correptus est, quae aliquot diebus post cum raucedine quadam solemnem in tracheitide, qualem parentes describerent, sonum sortita. Infantem ceterum bene valentem parentes post meridiem in villam propinquam secum obduxerunt, de necessario medicaminum usu nihil meditantes. Cum vero puer noctu graviori febri adeoque difficili respiratione infestaretur, ut bis vomeret, ipse tandem versus meridiem arcessitus puerum ita raucum deprehendi, ut verborum eius plane nullum perciperem, tussim admodum frequentem exacteque ut in tracheitide resonantem, febrem sitimque mediocres. Rogatus puer, an aliquem sentiret dolorem, laryngem monstrabat. Pulvis tartari stibiati confestim propinatus vomitum aliquoties excitavit, quo peracto tres hirudines circa laryngem applicari, quibus multum sane sanguinis evacuatum, horisque alternis medicaminis sequentis cochlear minus suppeditari iussimus.

Recipe: Camphorae grana quatuor
Sulphuris stibiati rubri grana tria
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. F. linctus l. a. D.

Versus horam quintam respirationem multo faciliorem, febrem modicam, puerumque ipsum, licet gravem sanguinis iacturam expertum, quantum pallida eius facies prodebat, satis alacrem tamen vidimus, ut in lectulo semper ludere caperet. Ad horam octavam recens morbi exacerbatio comparuit, cum eaque impedita denuo respiratio, tussis crebrior, vox ita rauca, ut ne verbum quidem intelligere posses, et loquela ipsa difficilis observatae. Febris ceterum perquam vehemens, pulsus arteriarum frequentes, nec pleni, sitis permagna, ut plurimum ptisanae hordeaceae facile hauriret, et corpus tactu calidissimum aridumque. Quapropter emplastrum vesicans collo applicari linctusque illius quavis sesqui hora cochlear minus praeberi, simul ob alvum interdiu non solutam enema emolliens iniici iussimus. Ad mediam usque noctem respirandi difficultas perstabat, tum vero sudore copioso, quo puer suffunderetur, multum levata, qualem et postridie versus nonam horam matutinam observabamus. Febris perquam mediocris erat, puer ita laetus, ut in lecto luderet, respirationis difficultas plane nulla, raucedo atque tussis per quam nihil tamen reiiceretur, eaedem atque pridie. Aegroto cibum efflagitanti aliquantum oryzae decocti cum frustulo panis concessimus. Loco vesicatorii graviter saucio, unguentum aliquantum irritans impositum et horis tantum alternis linctus illius cochlear minus suppeditatum. Qui melior aegroti status hora quinta pomeridiana adhuc perstabat, circa nonam vespertinam autem horam

respiratio repente impedita ita trahebatur, ut valde remotus etiam eam audire possem; puer multum agitatus vix in lecto retineri rectoque tantum corporis situ, spiritum ducere poterat. Manus eius per hunc paroxismum frigidae, facies pallida, labia caerulea observata. Quum valde remotus ab aegroto habitarem, hora demum decima redux factus respirationem multum levatam reperi, ut parentes me tam sero arcessitum sollicitudinis huius nimiae veniam rogarent. Qui respirationis status per integram, quam remanebam, horam idem observatus, in iisdem medicaminibus persistere iussit. Proximo mane certior per parentes factus puerum per totam noctem quiete respirasse, multum sudasse ac tussivisse, absque tamen aliquid eiecisset, statum aegroti dictis etiam respondere vidi, vocem haud adeo raucam, sonum tussis aliquanto mutatum, fere catarrhalem atque talem, tanquam aliquid ab arteria aspera abstrusum foret, modo quod lymphae plasticae nihil eiiceretur; febrem omnino nullam, puerumque ipsum admodum hilarem et in lectulo theae infusum satis avide cum pane tosto consumentem. Linctus continuatus. Ad vesperam status obtinebat idem, sono quidem tussis per tracheitidem solemni, raucedineque paullatim disparentibus, ita ut intra paucos dies penitus cessassent. Noctem proximam puer admodum tranquillam transegit, neque ulla respirandi difficultas amplius observata. Linctus supra memoratus, missa tamen camphora, continuatus, usque dum aegrotus pristinae saluti restitutus fuisset. Alvi lotiique excretiones per omnem morbi decursum, quantum adseverare vere possumus, semper sanae procedebant.

Epicrisis.

Morbus iste sub catarrhi soliti forma vitae pueri primum insidiatus, post νυχθήμερον demum in tracheitidem ipsam conversus, per quam respirandi difficultas prodiret, manifestum synochae characterem prae se tulit, quam omnibus expugnare viribus eniterer. A principio distinctae prodibant et vespertinae morbi exacerbationes et matutinae post mediam noctem remissiones. Quae repentinae circa horam nonam vespertinam diei 6. Maii exacerbationis causa fuerit, definire nequeo. Num peculiaris forte exsudatae lymphae forma, quae mechanicum arteria asperae adderet stimulum? Num pueri vitam conservaturus essem, si hac repentina ac vehementi morbi exacerbatione seductus eundem cum asthmate Millari confusum, qua talem pertractassem?

VIII.

Puer, cuius morbi historiam enarraturus sum, patre natus erat paupere, sutore veteramentario, qui parvam arctam et humidam domum inhabitabat et per diversos morbos quinque iam liberos morte sese perdidisse referebat. Puer ille quinque annos et dimidium natus, quoad externum corporis habitum robustus beneque pastus, integra semper praeditus valetudine, ante tertias Idus Octobres anni 1807 die Lunae ante meridiem, tempestate quidem haud admodum humida neque catarrhis neque aliis morbis prae primis favente, raucedine tussique, cuius sonus peculiaris, crebrioribus infestabatur. Cum puer ceterum bene valeret, scholam suam frequentaret, et magna cum voluptate pranderet, parentes de filio minus

solliciti raucedinem tussimque eius parum curabant. Pridie Idus Octobres puer eundem sese habebat; quum versus vesperam autem perquam inquietus et anxius de defectu respirationis conquereretur, mater ad horam demum octavam vespertinam, tertio morbi die, me invisebat rogans, ut filio, de cuius statu periculoso nihil metueret, remedium aliquod contra tussim praescriberem. Quae vero mihi ea narrabat, ex iis omnibus puerum tracheitide correptum suspicatus, confestim me ad eum invisendum contuli. Dum per domus scalas in eam adhuc descenderem, e sono tussis extra conclave auditae hostem iam divinabam, quocum mihi conflictandum esset. Respiratio aegroti valde molesta, non admodum accelerata erat, sonus in inspirando sibilans, in exspirando contra profundior, tussis crebrior et sonus eius tracheitidi solemnis, per quam nihil eiiceretur. Rarissime modo aliquantum crepitans iste audiebatur, ex quo concluderem, plus minusve lymphae plasticae in arteria aspera iam exsudatum esse. Facies pueri valde rubicanda ac tumida, corpus ipsum sudore obtectum erat; pulsus arteriarum centum ac viginti quovis temporis minuto numerabam eosque plenos ac duros; sitis erat permagna, potus deglutiendi difficultas nulla et nullum inflammationis in faucibus vestigium. Puer ipse continuo nunc hic nunc illic iactabatur, recentem quaesiturus semper corporis situm, quo respiratio levaretur; cui situs tamen erectus, capite retrorsum reflexo, optime respondere videbatur. Vomitus eidem tartaro stibiato pluries excitatus, quo lymphae plasticae aliquantum utrum eiectum fuerit nec ne, per caudelam adhibitam discernere non potui; peracto autem eo hirudines tres circa laryngem applicari iussi, per quas multum sanguinis detrahebatur. Ab hora inde nona, qua redibam ad aegrotum, respiratio aliquanto melior obtinebat ad horam undecimam usque et dimidium, tussis

ac respirationis sonus autem perstabat idem, pulsus arteriarum haud adeo frequentes sed pleni, facies minus inflata sudorque decreverant. Quae cum ita essent hunc exhiberi iussi linctum:

Rec.: Camphorae
Sulphuris stibiati rubri ana gr. jjj
Mucilaginis gummi arabici unc. semis
Syrupi Althaeae unciam unam.
M. F. linctus D. S. horis alternis cochlear minus porrigatur.

Ipsis Idibus Octobribus mater mane referebat filii respirationem ad horam secundam usque matutinam multum levatam, tum vero pluries ita impeditam processisse, ut multoties de suffocando eo verita fuerit, usque dum diluculo appropinquante statum istum aliquanto pacatiorem conspexisset; qualem nos ipsi quoque circa horam octavam matutinam deprehendimus, i. e. hesterno haud peiorem. Tussis atque raucedo haud mutatae, respiratio perquam difficilis, calor corporis naturali multo inferior, sudor omnis suppressus; pulsus arteriarum haud adeo pleni, aliquanto rariores sentiebantur atque vespera praeterlapsa; lotium ab homine sano missum videbatur, alvi ratio omnino sana. Quibus observatis haec praescripsimus:

Rec.: Hydrargyri muriat. mitis gr. duodecim
Sach. albi scrupulos duodecim
M. Divid. in xjj partes aequales D. S. horis alternis pulvis exhibeatur unus.

Rec.: Camphorae grana quatuor
Sulphuris stibiati rubri grana tria
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. D. S. horis alternis cochlear detur minus.

Utrumque igitur medicamen alternis vicibus per singulas aegroto suppeditatum horas. Collum emplastro vesicante circumdatum. Circa horam decimam idem perstabat in universum aegroti status, per intervalla tamen adeo levatus, quantum pater adseverabat, ut puer hilaris crepundiis suis luderet. Hora prima audita mater lacrymans puerum per plures iterum paroxysmos suffocationis periculum subiisse retulit. Respiratio nobis ipsis multo impeditior visa; tussis rarior, sonus eius altus et acutus, statusque pueri omnis circa horam septimam adeo funestus erat, ut eum iam iam suffocatum iri metueremus. Faciem, genis rubicundis labiisque lividis exceptis, pallidam reperimus, tactu frigidam sicut integrum corpus, frigidoque et viscoso sudore suffusam. Bulbi oculorum horrendum in modum prominebant ac convellebantur. Pulsus arteriarum tactum fugiebant, ut rarissimi tantum iique debilissimi sentirentur. Respirationis sonitus crepitans audiebatur descriptu difficillimus, qualis in moribundis percipitur, haud dubie inde hic deducendus, quod lympha plastica polyformis, qualis posthac describetur, glottidem obturaret. Puer situ corporis semper mutando respirationem omni modo levaturus, per erectum maxime corpus, capite aliquantum reflexo suum obtinuit finem. Si quod aliud medicamen secundum theoriae principia aliorumque medicorum experientias, emeticum huic funesto aegroti statui optime responsurum erat. Quapropter praescriptum a nobis

Rec.: Rad. Ipecacuanhae
Sachari albi ana scrupul. unum
M. Div. in duas partes aequales D. S.
Quovis horae quadrante pulvis detur unus.

Quem utrumque mater circa horam nonam incassum suppeditatum

retulit, eamque ob causam pharmacopolam a se consultum aliud exhibuissé vomitorium (vinum quidem stibiatum) cuius vel tria iam instillata cochlearia minora spem fefellissent. Ad quam tandem explendam nos ipsi duo alia addimus, quibus lymphae plasticae aliquantum saltem eiectum, et deplorandum pueri statum ita paulo levatum iri speraremus. Exoptatus defuit eventus. Inanes prodibant solum vomendi conatus, horrendis admodum stipati convulsionibus, quibus cessantibus respiratio aliquanto tardior, stertorosa veluti in moribundis incedebat, ut morte nihil certius intra pauca temporis momenta metuendum esset. Haud parum inde miratus parentes postridie referentes audiebam, puerum tribus demum horis post exspirasse, plura etiam convulsiva ac suffocativa symptomata ante expertum. Pueri dissecandi licentiam haud facilem nactus quam per domum miseram obscuramque vespera tantum candelaque adhibita explere poteram, arteriam primum asperam denudabam, eaque leviter modo incisa liquorem extemplo tenuem spumosum, albidum, subviridem obvium habui, quo vel integra arteria aspera posthac dissecta, ad laryngem usque referta erat. Alius humor isque spissior nec minus subviridis arteriam asperam laryngemque internas obducebat omnes, epiglottide quidem externa libera missa. Observatu dignissimus etiam crassior quidam lymphae plasticae funiculus erat, qui a cartilagine cricoidea posteriore ad infimam usque arteriam asperam dependens plurimum profecto ad puerum suffocandum contribuisset. Funiculus iste subviridis et teres in spiritum vini dein immissus in latitudinem magis expandebatur. Membranae pituitosae sub exsudata lympha latentis inflammatio talis erat, qualem nunquam vidimus. Rubicanda per integrum eius tractum clare discernebantur puncta minora, quae glandularum mucosarum orificia duximus. Bronchias in pulmonum parenchyma

usque persecuti albicante quodam, viridi ac tenui humore repletas, pulmones ipsos aëre valde distentos, faciemque eorum externam integram albicantem, internam contra per sanguinem ibi suggestum, rubro tinctam colore deprehendimus, (num forte sanguis in mortuo demum puero, ipso suo collectus ibi fuerit pondere?) interioresque cordis cavitates pariter atque vasa maiora sanguiduca polyposis sic dictis concrementis referta, quae sane ad impeditum sanguinis circuitum referenda essent.

Epicrisis.

Praeter infestum maxime sanitati domicilium vix ullam morbi huius nati rationem attulerim, neque a vero tantum abludentem, quae funestum praeprimis eius eventum produxisse non contendatur. Quum prodroma tracheitidis symptomata, raucedo inquam et peculiaris tussis sonitus a parentibus negligerentur, triduum iam morbus perduraverat, antequam arcessitus essem, quo tempore larga lymphae plasticae copia haud dubie iam exsudata fuit. Qui stenicus obtinebat a principio morbi character, antiphlogisticam medendi methodum suasit aptissimam; proxima autem meridie obvius ille praeter vesicatorium, quod per quatuor horas collo impositum aliquam iam exseruisset vim, suris etiam sinapismos applicari iussisset, ut qui duplex epispasticorum medicaminum effectus haud nocivus extitisset. Nec moschum camphorae postposuissem, nisi summa parentum egestas pretiosi illius medicaminis usum nostris praesertim temporibus vetuisset. Quod incassum adhibebatur hora septima vespertina efficacissimum alias emeticum, dictis iam in commentatione nostra de usu emeticorum in ultimo morbi huius stadio penitus respondet, licet indicatio eorum perraro ita determinata prodeat.

Moschi forte connubium cum sat larga sulphuris stibiati rubri copia, aegroto propinatum, ad quod in pluribus iam casibus tanquam ad anchoram sacram haud frustra confugerimus, meliorem etiam rerum eventum produxisset.

IX.

Mense Novembri anni 1807 puella duorum annorum, sani ceterum plethoricique habitus post gravius refrigerium, vehementi raucedine ac tussi correpta, cuius sonus peculiaris matris attentionem in tantum movebat, ut me statim arcesseret. Tussis exacte sonum in tracheitide solemnem prae se ferebat, licet sola cum raucedine morbum significaret praesentem neque ullum febris vestigium detegi posset. Tartarus stibiatus a nobis suppeditatus, quo pluries vomitus movebatur. Ad vesperam redux factus ad puellam invisendam febrem observabam sat gravem synochaeque charactere notatam, qualis in puella robusta admodumque valida non posset non observari. Respiratio cum aliquo procedebat nisu, inspirationis sonus trahens et sibilans exaudiebatur; tussis quidem frequentior sed profunda magis quam acuta quoad sonum, nec crepitans obtinebat. Hinc circa laryngem tres applicari iussimus hirudines, sanguinis missionem sat diu sustineri et linctum insuper saepius iam commemoratum e camphora quidem ac sulphure stibiato rubro confectum horis alternis exhiberi. Versus horam decimam raucedo ac tussis sonus perstabant iidem, respiratio contra multo melior, febris haud adeo gravis, pulsus arteriarum ante pleni nunc multo minores, satisque frequentes incedebant, ac facies pallida sat largam sanguinis iacturam puellam expertam esse docebat. Per noctem respiratio

recens quidem impedita, sed non adeo difficilis observata, atque ante sanguinem missum; post mediamque noctem sudor promotus ad diluculum usque pertinuit. Circa horam octavam matutinam raucedo quidem eadem nobis oblata, respirandi autem difficultas plane nulla, sonus tussis omnino mutatus, ut aliquantum crepitans exaudiretur, licet nihil per eam eiiceretur, febris plane nulla, et puella ceterum alacris videbatur. Praescriptum continuari iussimus linctum, granis quidem duobus sulphuris stibiati rubri, quae comprehenderet, ad tria adauctis. Versus vesperam respiratio aliquanto difficilior visa, aegrota de laryngis doloribus praeter consuetudinem conquesta, et frequentiores minoresque arteriarum pulsus una cum aucto humidoque corporis calore febrem haud dubiam mittebant, quae circa horam decimam ad mediam usque noctem multum incresceret, qua per auctum sudorem remissio eius producta. Medicaminibus internis emplastrum vesicans adiecimus collo imponendum. Proximo mane horam versus nonam respirationem omnino sanam deprehendimus, febris vestigium nullum, raucedinem imminutam et tussim catarrhali magis comparandam, interdum quidem valde crepitantem, absque tamen aliquid per eam reiiceretur. Ad vesperam febris aliquantum recrudescere visa, sed in exiguo tantum gradu. Respiratio perstabat tranquilla, nec tussis neque raucedo mutatae, verum intra paucos dies per continuatum linctus illius usum penitus fugatae puellam abhinc sanam miserunt.

Epicrisis.

Cuius morbi historia nos primum tracheitidem haud semper a principio statim cum impedita respiratione coniunctam incedere docet, tum morbum ipsum sat distinctas subire remissiones, tussim-

que interdum per eum profundius sonare ita ut asthmatis Millaris diagnosis neutiquam in his duobus posterioribus signis verti possit, quantum Wichmannus contenderit. Morbus iste synochae prae se tulit characterem, quem a principio statim emetico hirudinibusque adhibitis prompte suppressimus, itaque camphorae sulphurisque stibiati rubri viribus viam stravimus, quae missis illis remediis, morbi vehementiam infringentibus, non solum inutiles, verum etiam nocivae extiturae fuissent. Quod altera vespera applicabatur vesicatorium, utilissimum profecto erat tum ad respirationem expediendam, tum ad dolores laryngis fugandos, de quibus puella conquereretur.

X.

Pridie Idus Novembres anni 1807 infans biennis, Doctoris Pavenstedtii, affinis mei soboles, subito raucedine quadam tussique infestabatur, quae peculiarem edebat sonum et respirationem ita anxiam et impeditam secum ducebat, ut illam iterum iterumque erectam e cunabulis a nutrice tolli oporteret. Quod funestum tracheitidis symptoma ignorans ea, ut quae respirationem alternis vicibus liberiorem videret, nullam non navabat operam, ut infantem somno placaret, quem versus matutinum tempus vere obtinuit. Iam raucedine et tussi respirandique difficultate mane plane deficientibus, de eo quod noctu obtigisset ad parentes de dilecta sobole, quam solam haberent, valde sollicitos ne verbum quidem retulit, qui eam frigido isto die multum sub dio commorari paterentur. Hora octava vespertina quum in cunis reponeretur, cum raucedine anxietas etiam quaedam repetitis vicibus redibat, per quam e cunis se tolli

infans efflagitaret. Parentes hora demum decima de hoc infantis sui statu certiores facti nec periculum morbi intuentes precibus me confestim adibant ut catarrhalem infantis tussim remedio aliquo sedarem. Affinis vero mei domum hora undecima ipse ingressus, conceptam de vero infantis morbo, tracheitide quidem, suspicionem omnibus proh dolor! indiciis confirmatam vidi; parentibus etiam mihi referentibus, ab hora inde decima infantis statum multo peiorem incessisse. Respirationem observabam difficilem, tussim asperam, infimaque vocis contentione, quae *Bassus* audit, peractam, vocem plane raucam, ut quae infans dicturus esset, percipere non possem; febrem sat vegetam, pulsus arteriarum frequentes, et pro tenera infantis aetate iusto pleniores ac duriores, corpus perquam calidum, vultum rubore suffusum, aliquantum inflatum, sitim vehementem, animi anxietatem permagnam ut nullo modo infans in lectulo retineri posset, sed semper in gremio nutricis residere cuperet. Initium aegroti curandi ab emetico factum:

Rec.: Tartari stibiati grana tria
Aquae fontanae destillatae drachmas quatuor
Oxymellis squillitici drachmas duas
M. D. S. Quovis horae quadrante cochlear minus propinetur.

Quo vero medicamento fere omni consumto, haustaque insuper larga chamomillarum infusi copia dum vestimentis probe velatus aeger per conclave circumgestabatur, nec vomitus excitatus nec respiratio levata sed longe difficilior audita. Quapropter ad hirudines confugimus circa laryngem applicandas; quibus vix sanguinem sugentibus respiratio hucusque anxia continuo levata, vomitus pluries motus, praeter chamomillarum autem infusum et pituitae ali-

quantum nihil aliud per eum reiectum. Iam respiratione tranquilliori facta febreque diminuta praescripsimus:

Rec.: Camphorae grana tria
Sulphuris stibiati rubri grana duo
Mucilaginis g. arab. unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. D. S. horis alternis cochlear detur minus.

Rec.: Hydrarg. muriatici mitis gr. unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in octuplo S. horis alternis pulvis sumatur unus.

Quae medicamina modo saepius iam laudato propinata, duobus proximis diebus largior cutis insecuta transpiratio, per quam febris omnis cessaret et respiratio expedita prodiret; licet tussis sonus atque raucedo per integrum diem perstarent. Consumta ad vesperam medicamenta iam repetita, hydrargyri tamem muriatici mitis pulveres horis modo ternis sumti, ob suscitatam diarrhoeam iusto copiosiorem. Nocte tranquilla peracta aeger mane multum sudabat, respiratio omnino sana ac tussis sonus raucedoque valde mutata procedebant, febris vestigium aderat nullum, animusque tam hilaris ut per integrum diem infans in lectulo luderet. Alvo laxiori per vesperam antecedentem pluries soluta, usu hydrargyri misso, linctum modo e camphora sulphureque stibiato rubro paratum, porrigi iussimus, quo tussis atque raucedo penitus tandem fugatae.

XI.

A. XI. calendas Novembres anni 1807 D'Oleirius Med. Doctor ad invisendum secum sellularii cuiusdam filium me invitavit, qui tracheitide laboraret. Puerum quartum iam aetatis suae annum agentem, valde robustum semperque fere sanum parentes per vesperam praeterlapsam bene valuisse adhuc referebant, excepta quadam loquelae raucedine, quam in eo observarint, sed lusu sub Iove coenaque posthac sumta puerum probe dilectatum; primo dein somno, spiritu repente suppresso excitatum e lectulo suo ad matris illum confugisse, quae surrexerit in sinum eum receptura suum; hora tertia matutina anxietatem eius valde adauctam, ipsum bis convulsionibus correptum pluriesque sponte vomuisse; tussim sat crebram continuo sonum prae se tulisse tracheitidi solemnem; hora sexta respirationem adeo impeditam processisse, ut supino tantum corporis situ fieri potuisset, faciem caeruleam frigidamque observari, ut iam iam mortem eius metuerent. Quum uterque hora octava accesseramus vix ac ne vix quidem persuadere mihi potui, morbum hunc proxima demum nocte natum esse, ut per quem respiratio adeo difficilis procederet, qualis brevi ante mortem observari adsolet. Inspirationem observabam profundam, exspirationem sibilantem magis, sonum tussis plane eundem atque in tracheitide obvium, loquelam adeo raucam, ut quae puer dicturus erat, percipere non possem; faciem rubicundam ac turgidam, totum corpus calidissimum, pulsus arteriarum frequentes ac plenos, sitim modicam ac deglutitionem expeditam. Emetici confestim exhibendi auctor extiti secundum hanc formulam:

Rec. Tartari stibiati grana tria

Solv. in aquae fontanae unciis tribus

D. ad vitrum.

cuius solutionis quovis horae quadrante cochlearis dimidium ab aegroto sumeretur. Per obstinatum autem pueri arbitrium, quo omnia aversatus medicamina solutionem illam semper reiiceret, pulverem substituere coactus sum, per singula horae dimidiae intervalla sumendum:

Rec. Rad. Ipecac. gr. quatuor
Sachari albi scrupulum semis
M. D. in quadruplo.

Tribus tandem dosibus eiusmodi obtrusis ter vomuit puer et nihil quidem nisi aquam, pituitam albam ac bilem. Continua eius vociferatione quum suffocationis periculum adaugeretur, duas, quas obtinere modo possemus, hirudines circa laryngem poni, sanguinis missionem quantum posset, sustineri vomituque cessante hunc simul pulverem exhiberi iussimus:

Rec.: Hydrargyri muriat. mitis gr. unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in octuplo S. per singulas horas pulvis propinetur unus.

Praeter omnem spem, fore ut aeger pulveres istos haud magna cum difficultate hausturus esset, summa vi non nisi adhibita ab eo impetratum ut eos deglutiret. Versus horam duodecimam respirandi difficultas pariter atque febris remisere, quarum prior tamen circa tertiam horam aliquantum recrudescere visa, quapropter vesicatorium collo applicitum. Hora quinta largo suffundebatur puer sudore, et respiratio liberior procedebat, ita ut per somnum nullus fere exaudiretur strepitus, ipseque in horizontali recumbere posset corporis situ. Tussis rarior et plorando tantum excitata compare-

bat. Hinc pulveres iidem repetiti. Hora iam decima respiratio eadem expedita procedebat, inspiratio autem sonum magis obscurum edebat, quam tempore pomeridiano. Per tussim lymphae plasticae aliquantum solutum proditurum videbatur, quantum e sono illo crepitanti, descriptu quidem difficillimo iudicari potuit. Pulveribus illis alvus rite soluta neque ulla diarrhoea excitata ac febris moderata fuit. Postridie hora octava mater puerum circa horam octavam matutinam in gravi admodum suffocationis periculo versatum, permultum tussivisse nec quidquam eiicisse retulit. Per somnum quem iam capiebat, inspiratio quidem profundior sonabat, exspiratio vero pacata, et febris modica observatae. Vesicatorium efficacissimum extitit, hydrargyri muriatici mitis usus continuatus. Hora duodecima alvum posuit laxam eamque copiosam, hilari erat animo et prandere cupiens panem bis coctum lacteque attenuato emollitum comedit. Hora tertia pomeridiana tussis gravior et respiratio molestior nec tamen adeo impedita atque ante incessere. Die 23 mensis eiusdem post noctem quiete transactam, superstitem tamen aliquam observabam adhuc febrem, tonsillasque dextri colli aliquantum tumidas, nullum autem gingivarum tumorem, nec per tussim nunc multo rariorem sonus in tracheitide solemnis ille amplius auditus. Ob laxiorem alvum missus hydrargyri usus eique linctus substitutus:

Rec.: Syrupi Althaeae unciam unam
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Sulphuris stibiati rubri grana tria
M. F. linctus. D. S. horis alternis cochlear minus porrigatur.

Ad vesperam febris aliquantum adaucta, haud dubie per copiosum carnium iusculi usum, a parentibus clam nobis suppeditati. Postridie

vicesimo quarto mensis die tussis adhuc frequens eum vexabat, sed catarrhalis modo, per quam lymphae plasticae aliquantum semper abstrudi videretur cuique solus linctus illius usus per aliquot dies adhuc continuatus sufficeret prorsus sedandae. Ita puer ad priorem sanitatis statum revocatus.

Epicrisis.

Subitaneus morbi huius ortus per sthenicam haud dubie inflammationis indolem atroces illas nervorum turbas produxit, quae vomitorio adhibito sanguineque misso prompte sedarentur. Hydrargyrum muriaticum mite solum a nobis praescriptum, quod puer obstinate omnium medicaminum usum renueret, neque ullam relinqueret spem fore ut camphoram assumeret. Huc accessit quod in puero robusto obesoque diarrhoea forte subnata haud valde timenda esset. Neque salutarem medicaminis huius effectum, quem speraremus, eventus fefellit, qui neque emetico praemisso, neque sanguine ante subtracto impetrari potuisset. An hora duodecima iam tam distincta symptomatum principum remissio a nobis observata fuerit, qualem parentes sanguinem missum statim insecutam adfirmarunt? Neutiquam profecto! Nec qui hydrargyri modum agendi perspexerit, tale quid contendere audeat.

XII.

A. octavas calendas Novembres anni 1807 per humidam atque nebulosam tempestatem, quae totum obtineret diem, infans sesquiennis sat validus ceterum et sanus, cuius parentes domunculam

humidam urbis s. d. novae (Neustadt) haud procul a flumine Visurgi urbem nostram alluente, inhabitabant, mane raucedine tussique sat violenta correptus est, quae versus vesperam etiam incresceret. Tussis sonus ita novus anxiusque matri videbatur, ut proximo mane medici de eo consulendi consilium caperet. Atqui prima iam morbi nocte plura suffocandi pueri symptomata supervenere; matutino vero tempore respiratio ita expedita denuo procedebat, ut qui arcessitus esset medicus, morbi periculum haud magni aestumans linctum solum e syrupo Althaeae, mucilagine gummi arab. et liquore c. c. succinato paratum praescriberet. Hinc omnibus ad meridiem in peiora ruentibus et respiratione praeprimis versus vesperam adeo impedita ut puerum iam iam suffocatum iri mater metueret, medicus ipse forte mihi obvius factus me rogavit, ut commune secum aegroto ferrem auxilium. In cunis iacentem deprehendimus illum, respirationem peractu difficillimam, inspirationem quidem profunde sonantem, exspirationem altissimam et sibilantem; tussim modicam, per fletum pueri modo obviam et praeter solitum, qui audiretur sonum, aliquantum crepitantem, quo lympham exsudatam et forte iam resolutam existere concludimus. Pulsus arteriarum perquam exiles adeoque frequentes erant ut numerus eorum comprehendi non posset; facies pallida, labia livida, oculorum bulbi per continuas convulsiones sursum semper torti, quales et posthac in omnibus fere aegrotis eiusmodi observavimus. Quibus perpensis, emeticum ex ipecacuanha continuo propinandum atque tum grani dimidium hydrargyri muriat. mitis cum aequa moschi dosi exhibendum suasimus. Post quatuor horas reversis nobis mater infantem cum tanto vomuisse nisu referebat, ut pluries suffocationem eius metuisset; post aliquantum vero temporis respirationem multum levatam ipsumque infantem in universum restaurari sibi

visum esse, nec horam tamen integram praeterlapsam; cum omnis iste status in peius ruisset, qualem nos ipsi iam deprehendebamus, ita quidem gravem, ut spes omnis mane iam valde exigua de recuperanda aegri salute me nunc destitueret. Hinc, qui sequuntur pulveres praescripti:

Rec.: Hydrarg. muriat. mitis
Moschi optimi ana gr. unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in sextuplo S. per singulas horas pulvis exhibeatur unus.

Praeterea linctum commendavimus sequentem:

Rec.: Sulphuris stibiati rubri grana duo
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. D. S. horis alternis cochlear detur minus.

Alternis etiam horis naphthae vitrioli aliquantum phialae infusum naribus admovebatur; sed hora nona vespertina infans morbo succubuit, multas ante convulsiones adhuc expertus.

Epicrisis.

Cuius morbi historia nos aperte docet, remedia statim ab eius principio maxime festinanda esse, propterea quod periculum in levissima versetur mora, qualis in hoc obtinebat casu. Quo tempore primum videbam infantem per respirationis incessum haud dubium iudicatu erat, sat largam lymphae plasticae copiam iam exsudatam prostare, per eamque ipsam inflammationis vim vel infractam vel quod magis etiam arridet, penitus prostratam iacere. Neutiquam igitur consul-

tum erat, inflammationem istam a principio forte sthenicam hirudinibus expugnare, quae per praesentem iam asthenicum eius characterem, sanguine misso etiam auctum, copiosiorem profecto lymphae plasticae congeriem non potuissent non provocare; qualem immodicam illam in pneumoniis asthenicis saepe obviam habemus et minus quidem communi virium defectu per sanguinem missum nato, quantum in vulgus credunt, quam potius nimia, quae illo provocata fuerit misso, lymphae exsudatae copia, funestam, qua aegri suffocentur. Quod nostro ferendum erat aegro auxilium, in quatuor in primis indicationibus videbatur mihi verti explendis. Prima quidem, qua inflammatio deleretur, altera, qua exsudata lympha propelleretur, tertia, qua arteriae asperae spasmo mederemur, quarta denique qua vires aegri reparandae essent. Primum illum finem camphora et hydrargyro muriatico miti, alterum emetico et sulphuris stibiati rubri usu, tertium moschi illo obtinere conati sumus. Vesicatorium tum inflammationi tum arteriae asperae spasmo fugandis, nec non naphtha spasmo isti pariter tollendo atque inhibendae humoris pathici secretioni respondere videbantur.

XIII.

Pridie nonas Februarias anni 1808 puer duorum annorum, Ettleri, consulis Hispanici hic degentis, filius tanta opprimebatur raucedine, ut, quae dicturus esset, intelligere non possent, tussique simul frequenti, quae, quantum mater adseverabat, peculiarem ederet sonum. Quorum duorum symptomatum vero per quatuor dies, licet quotidie visum veniremus aegrum, nihil a nobis observatum, usque dum a. III. idus Februarias circa meridiem prima vice tussim

audiremus, perfecte atque in tracheitide resonantem atque ex proxima demum nocte, quantum mater adfirmabat, ita resonantem. Caeterum nihil obvium, quod respirationem impediret, febris autem charactere synochae stipata, haud amplius praetervidenda. Praeter emeticum ab initio suppeditatum, et linctum sulphure stibiato rubro mixtum, aegro hucusque nihil exhibitum erat. Quam primum certa constaret tracheitidis diagnosis, emeticum repetitum, tres simul hirudines circa laryngem appositae, quibus largior mitteretur sanguis, linctusque ad sequentem formulam praescriptus:

Rec.: Syrupi Althaeae unciam unam
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Camphorae
Sulphuris stibiati rubri ana grana tria
M. D. S. horis alternis cochlear minus exhibeatur.

Versus vesperam morbus iam talis incedebat, ut febrem mitiorem diceres, nec sonum illum crepitantem per fletum aut tussim pueri obvium semper audires. Mercuriales nunc praescripsimus pulveres:

Rec.: Hydrargyri muriat. mitis gr. unum
Sach. albi scrupulum unum
M. D. in sextuplo S. horis alternis pulvis detur unus.

Qui pulveres alternis igitur cum linctu supra laudato vicibus exhibebantur. Noctem somno quieto aeger transegit; mane tussis impetus sat frequentes, convulsivae tussis in modum, eum vexabant, per quam facies rubore suffundebatur, nihil autem eiiciebatur. Quidquid porrigebatur aegro, haud moleste quidem sed cum anxietate quadam ab eo raptim deglutitum, tanquam metueret, ne suffocaretur. Propter alvum noctu ad horam quintam usque matuti-

nam quinquies exoneratam, pulverum mercurialium usus nunc omnis missus. Hora prima pomeridiana puer ludebat, neque ulla respirandi difficultas observabatur. Linctu sumto vomitus semper excitatus, praeter sputum aliquanto pituitosum autem nihil aliud omnino eiectum. Hora quinta respiratio aeque expedita procedebat, vox rauca tussisque sonus semper crepitans quidem audiebantur. Nec vomitus nec diarrhoea rediere; quapropter pulveres mercuriales repetiti, et quum tussis sonus a tracheitidis illo solemni haud multum recederit, vesicatorium simul collo additum, quo sonus ille versus tempus matutinum aliquantum mutatus. Ob respirationem aliquanto peiorem, nox ut plurimum insomnis ab aegro transacta, et nihil nisi aquam tepidam quandoque parcam bibebat. Mane respiratio crepitans et aliquantum tarda observata, thorace quidem haud multum per eam commota; febris aderat modica, somnus nunc continuus, potus crebrior quandoque parcus haustus, panis tosti aliquantum ab eo sumtum. Hora prima respiratio fere eadem perstabat, per intervalla tantum aliquanto melior; tussis veluti convulsiva plures repetebat impetus; hora secunda vomitus redux factus, per quem, quantum quarta observabam hora, plura lymphae plasticae frustula subviridis quidem coloris eiecta, quae una cum sputo pituitoso partim valde viscoso, aquae innabant. Iam tranquillior aegroti status incessit, qualis nobis etiam hora quarta pomeridiana ille visus. Ob diarrhoeam recrudescentem hydrargyri usu misso, linctus supra memorati cochlear minus cum dimidio tantum horis alternis exhibendum curavimus. Hinc puer admodum hilaris febrisque omnis expers continuum efflagitabat lusum. Hora nona vespertina respiratio perstabat eadem, nec nisi per lacrymationem aut tussim sonus ille crepitans auditus. Perraro aliquid a me observatum, dum prope cunas adstabam, quod difficilem aut molestam respirationem signi-

ficaret. Duo frustula lymphae exsudatae per vomitum denuo eiecta. Linctus continuatus. Ipsis idibus Februariis ad horam quintam usque matutinam respiratio pacata processerat, mox autem impeditior et horam septimam versus per breve tempus talis audita, quantum nutrix disertis referebat verbis, quasi valvula quaedam per intervalla eam inhiberet. Brevi post sat grande ac tenue lymphae plasticae frustum vomitu eiectum, absque aeger tamen multum eo levatus esset. Raucedo quidem non aucta, tussis vero sonus acutior auditus et rarius crepitans ille, per quem lymphae plasticae aliquantum solutum significaretur. Per totam noctem multum biberat aeger alvumque semel posuerat admodum laxam et copiosam; qua propter remoto hydrargyro hoc substituimus medicamentum:

Rec.: Syrupi rad. Senegae unciam unam
Mucilag. g. arab. unciam semis
Sulphuris stibiati rubri
Camphorae ana grana tria
M. F. linctus D. S. horis alternis cochlear minus suppeditetur.

Hora secunda respiratio haud immutata fuit, inspirationis sonus valde sibilans, tussis ille percrepitans interdum auditus, absque tamen aliquid protruderetur. Infans ad somnum capiendum proclivis in cunis suis semper agitari volebat. Urina limpida parum continebat sedimenti, nec luteum ostendit unquam colorem (urine laiteuse). Multum sitiebat aeger, nec tamen multum uno bibebat haustu ac praeter aliquantum panis per totum nihil edebat diem. Lymphae exsudatae aliquantum interim denuo eiectum fuit. Hora quarta respiratio quum molestior atque nunquam hucusque procederet, inspiratio ita traheretur ut conclave vix ingressum offenderet, et tussis sonus percrepitans audiretur, absque quidquam tamen

ea protrusum fuisset, duo propinavimus emetica, quorum quodvis grana decem rad. ipecacuanhae contineret. Quae vomitus multo post demum insecutus; neque in sputis, quam diligentissime perquisitis vel tantum lymphae plasticae a nobis detectum esse sincere profitemur. Neque e vestigio nec brevi post vomitum respiratio melior progressa; ad horam decimam vespertinam saltem fere nihil in ea mutatum fuit. Hora proxima modo post vomitum peractum lymphae plasticae non nihil tussiendo iterum eiectum, quo respiratio per aliquot temporis minuta aliquanto facilior redderetur. Ab hora inde sexta linctus supra memorati usus continuatus inhibitaque iam a matutino inde tempore diarrhoea, pulveres simul mercuriales alternis cum illo vicibus iussu nostro recens exhibiti. Circa mediam noctem gravior infantem tussis incessit paroxysmus, quo suscitatum per vomitum magnum lymphae exsudatae frustum eiectum, quod continuo faciliorem adduxit respirationem, quantum experientissimus Mohr, Med. Doctor, qui aegro custos per noctem adsideret, ingenue testatus est. Nunquam peior denuo observata. Proximo mane omnino expeditam eam reperimus, ita ut praeter tussis sonum ac raucedinem adhuc superstites, nullum tracheitidis symptoma amplius perstaret. Largior nostram praeprimis movit attentionem lymphae copia tum vomendo tum tussiendo per noctem eiecta, quae omnem hucusque eiectam illam superaret, diebus insequentibus deinceps diminuta, ita ut die veneris nihil eius amplius animadverteretur. Raucedo ac tussis aliquanto temporis post demum discessere.

XIV.

A. XII. calendas Decembres 1808 eundem infantem, cuius morbus in historia decima descriptus prostat, raucedo ac tussis subito invasere, cuius sonum in tracheitide obvium novimus. Obscurius semper nunquam clarius altiusve ea resonabat, quum parentes nos arcessendos curabant. Infantem dein reperimus in gremio matris sedentem et alacrem, nec praeter raucedinem tussimque obscuriorem ullum aliud tracheitidis symptoma nobis oblatum. Vomitu hinc rad. ipecacuanhae pulvere aliquoties suscitato, post aliquot horas linctum e camphora sulphureque stibiato rubro paratum exhiberi iussimus. Die lunae circa meridiem raucedo decreverat, tussisque sonus perstabat idem. Hora quinta pomeridiana nihil omnino mutatum fuit, infante quidem bene valente in lectuloque ludente. Proximo Martis Die quum raucedinem modicam tussisque sonum a catarrhali plane non recedentem observaremus, linctum e solo sulphure stibiato rubro paratum praescripsimus, matrem simul adhortati, ne refrigerium ullo modo admitteret.

XV.

A. XVIII. calendas Ianuarias a. 1808 puellam duorum annorum hucusque sanam suscepimus curandam, quae tussi per exactam iam hebdomadem continua atque e proximo Iovis die raucedine etiam infestabatur; quae symptomata parentes hucusque nihil curantes, post noctem demum lunae ac solis dies intercedentem me arcessebant, ut qua respirationis difficultas etiam supervenisset. Quum hora demum sexta vespertina ad aegrotum accessissem, meliorem

omnino ante meridiem eius statum, nec tantam in respirando anxietatem atque praeterlapsa nocte observatam esse audivimus, versus crepusculum autem omnes increvisse respirationis molestias. Per tussim catuli latratum prorsus referentem, vix sputi aliquid proh dolor! eiiciebatur. Respiratio sane difficillima in inspirando sibilantem ut plurimum et magis etiam obscurum sonum edebat, febris sat vehemens synochae characterem prae se ferebat; potus deglutiendi haud exigua difficultas, faciesque tumida observatae. Anteriori iam collo quatuor applicari iussimus hirudines, simulque hisce internis uti medicaminibus:

Rec.: Infusi Senegae ex drachma una rad. parati uncias quatuor
Mucilag. g. arabici
Syrup. Althaeae ana unciam unam
M. F. linctus D. S. horis alternis cochlear maius exhibeatur.

Quo cum linctu alternis vicibus sequentes simul suppeditati pulveres:

Rec.: Hydrargyri oxydulati nigri granum semis
Sachari albi scrupulum unum
M. F. pulv. D. D. tales doses duodecim S. horis alternis pulvis detur unus.

Proximo mane a. XVII. calendas Januarias, mater pariter atque chirurgus, qui hirudines applicuerat, subtracto ab iis sanguine respirationem illico multum levatam, omnemque aegrotae statum magis quietum incessisse referebant; nec tamen tussis sonus aliquantum mutatus, licet aliquoties catarrhalem magis referre videretur. Notatu dignissimum erat, quod exspiratio hodierno die obtusior, inspiratio magis sibilans audiretur. Color faciei pallidus viriumque

languor permagnus observati. Quum per tussim in arteria aspera aliquid resolutum existere videretur, nec clare tamen constaret, collum vesicatorio circumdari iussimus, quo dubius ille lymphae in arteria aspera exsudatae status in clariorem quidem lucem productus est, neque aegrotae tamen conatibus reiiciendae illius, eventus respondit. Respiratio difficillima semper, facies nunc rubicunda, febrisque vehementior et synochae propior quam typho visa. Qua propter emeticum a nobis praescriptum:

Rec.: Rad. Ipecacuanhae grana quindecim
Divid. in tres partes aequales D.

Quibus sumtis post horam reliqua continuarentur medicamina. Alvus interdiu semel tantum soluta. Proxima die, 17 Decembris infantem crebrius vomuisse audivimus, nosque plurimum iuvit, in iis, quae per vomitum eiecta fuerant seduloque adservata, plura detegere frustula minora, viridis quidem coloris et lymphae plasticae quoad colorem ac spissitudinem simillima, quae in feminarum ex enteritide mortuarum puerperali cadaveribus reperiuntur, in iis praeprimis partibus, ubi per spissiorem suam naturam liquor iste tenuiorem quasi format membranam, qualem nos ipsi multoties observavimus. Quae lymphae viridis frusta pituitae flavae illis intermixta erant. Vomitu finito tranquillam admodum somno transegit aegrota noctem, maneque tam bene valebat, ut haud sine magna difficultate matrem eius convincere possemus, nondum omne vitae periculum superatum esse. Tussis adhuc perdurabat, lymphaeque viridis frusta continuo per eam reiecta, pulsus arteriarum rariores, neque admodum sani observati. Attamen sonus tussis catarrhalem magis referebat ac respiratio omnino facilior incedebat. Qui rerum status ad vesperam perstabat idem, febris aliqua exacer-

batione, quae sentiretur, excepta. Potus deglutiendi difficultas nulla amplius observata, et medicamina ultro postulabat aegrota. A. XV. calendas Ianuarias per integram noctem somno fruita erat tranquillo, utpote rariorem experta tussim; sed quoties ista eam accesserat, lymphae viridis frusta reiecerat. Facies fere naturalis, pulsus arteriarum haud frequentiores sed magis elati, respiratio ac tussis plane tales atque pridie comparebant. Ad vesperam nihil fere mutatum fuit; respiratio fere naturalis. Postridie de dentium doloribus mane conquesta, ad os explorandum nos perduxit, cuius gingivas ac glandulas salivales aliquantum tumidas et per easdem respirationem aliquando velociorem observabamus. Sed tussis defuit omnis ac febris omnino mitior visa. Hydrargyro igitur remoto, cuius grana viginti quatuor sumta fuerant, decoctum rad. Salep substituimus, camphora ac sulphure stibiato rubro mixtum. Circa horam octavam vespertinam infans melius atque nondum hucusque sese habebat, nisu quidem plane nullo ad perficiendam respirationem plane sanam, amplius obvio. Circa mediam noctem somno repente expergefacta aliquantum inquieta comparuit, ac, dum mater candelam adferret, oris angulus convulsiones aliquot expertus est, quibus sedatis reliquam noctem ad horam septimam usque matutinam quietam transegit. Mox sonus quidam peculiaris auditus, ad quem, quum arbitri adpropinquassent, varias experta denuo aegrota convulsiones; caput quidem reflexum, bulbi oculorum sursum ac retrorsum torti et brachia etiam spasmis vellebantur clonicis, per pauca solum temporis momenta. Hora octava matutina bulbos oculorum semiapertos et sursum retortos, caput posteriora versus reflexum, os perpetuis motum spasmis, tanquam aliquid masticaret, manus frigidas ac fuscas, quem colorem etiam pedes ac totum reliqûum corpus prae se ferebant, respirationem omnino sanam, tussis

nullum fere vestigium, vocem tamen raucam deprehendimus. Quum lecto suscepta in matris gremio iussu nostro poneretur, mentis omnino compos videbatur aegrota, sed quum corpus erectum tenere non valeret, in lecto reponi efflagitabat. Fuscus corporis color iam disparuerat quidem, pupillam autem valde dilatatam, fere amauroticam ostendit, ita ut candela etiam admota omnis deficeret iridis contractio. De coecitate puellae aliis etiam experimentis convicti, infusum Valerianae fortius una cum liquore c. c. succinato praescripsimus, parentum quidem egestate obstante, quo minus moschum profecto hic efficaciorem a pharmacopola redimerent. Quorum medicaminum usu turbae illae quidem sedatae, sed reflexus capitis situs, masticatio et strabismus permansere iidem atque tempore matutino; pulsus arteriarum clare discerni non poterant, et deglutitionis difficultas nulla observata. Hora octava vespertina violentissimi redibant spasmi, spuma simul os obducente, quibus ultra horam et dimidium continuatis infans tandem succubuit, per cerebri haud dubie hydropem, impedita respirationis abnormis in illud vi natum.

XVI.

A. III. calendas Ianuarias 1808 cum frigus acutissimum per plures iam perdurasset hebdomadas ac ventus e media orientem ac septentrionem inter coeli plaga (Nord-Ost) continuo spiraret, puella ante sana duorum annorum, ab refrigerio admisso raucedine tussique simul correpta est, cuius sonus in catarrhis solemnis ille erat, haud peculiaris. A. VI. nonas Ianuarias 1809 die Lunae post triduum igitur, quod raucedo perdurasset, sonus tussis tracheitidem, quantum

pater retulit, haud amplius dissimulabat; quo tamen neglecto parentes haud levis alias ingenii, me quinto demum morbi die, ex quo puella raucedine infestata fuerat, arcessendum curabant. Hinc quum tertio mensis Ianuarii die circa horam undecimam matutinam advenissem, mater, quae filiam in gremio positam tenebat de sorte eius parum adhuc sollicita, rogatum me offendit, ut linctum praescriberem pectoralem, quo raucedo fugaretur, et respirationis obstaculum, collecta quidem tolleretur pituita. Neque molesta mihi visa respiratio; sed inspiratio aliquanto profundius trahebatur et per exspirationem sonus quidam crepitans auditus. Brevi post quum infans a nutrice conclave ingressa in hoc circumgestari vellet, matreque id renuente vagitus cum eoque tussis puellae provocarentur, quam posteriorem nondum audiveram, sonus eius tracheitidem non poterat amplius dissimulare. Pulsus arteriarum haud commotos nullumque aliud febris symptoma observabam. Quapropter hoc emeticum exhiberi iussum:

Rec.: Rad. Ipecacuanhae grana quatuor
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in triplo S. Quovis horae quadrante dosis detur una.

Hora tertia supplicibus rogatus precibus, ut confestim ad aegrotam accederem, adeo difficulter respirantem ut parentes suffocationem eius metuerent, peiorem omnino aeris spirandi observabam functionem, clamore ac ploratu continuis, ex quo emeticum sumsisset, haud dubie turbatam. Vomitu, qui sat creber extitisset, sola tantum pituita, nec lymphae plasticae quidquam eiectum fuerat. Hinc tres circa laryngem applicari iussi hirudines et sequentem simul suppeditari linctum:

Rec.: Camphorae purae
Sulphuris stibiati rubri ana grana duo
Mucilaginis g. arab. unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. F. linctus. D. S. horis alternis cochlear minus exhibeatur:

alternisque horis pulverem etiam propinari mercurialem, secundum hanc formulam:

Rec.: Hydrarg. muriatici mitis gr. semis
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in sextuplo S. horis alternis pulvis detur unus.

Versus horam septimam infans ab haemorrhagia, quae omnem inhibendae sui luderet operam, per tres integras horas continuata, gravem virium iacturam cum eaque lipothymiam expertus est. Quo facto respiratio, quantum parentes adfirmarunt, continuo melior, vel a me ipso talis observata est, licet proprius tussis sonus et inspirationis, qui audiretur sibilans ille, quum propius accessissem, adhuc perstarent. Interim dolendum erat, quod infans iusto crebrius fleret ac clamitaret, quo respiratio brevi non posset non deterior fieri et inflammatio ipsa augeri. Hora nocturna decima in gremio matris positus ludebat, omnibus quidem remediis incassum adhibitis, ut in cunis remaneret, in quibus continuo vociferaretur. Genae vivido florebant colore, integrumque corpus calidum tangebatur. De pulsus arteriarum ratione nihil edicere possum, infante quidem omnem sui contrectationem abhorrente. A. IV. nonas Ianuarias hora octava matutina, mater aegrotam facilius per noctem respirasse, paucisque, quas in cunis ea permansisset, horis multum sudasse referebat. Ipse quidem respirationem aliquanto deteriorem sine magno tamen pectoris nisu incedentem, inspirationem sibilan-

tem et profundius, exspirationem multo magis etiam resonantem observabam; tussim frequentem ac vehementem, quae ploratu infantis suscitato maiores etiam respirationis crearet molestias, calorem corporis naturalem, sitim modicam. Per constantem infantis renisum, pulsus arteriarum modum neque nunc emetiri contigit. Propinata nunc ipsi haec medicamenta:

Rec.: Hydrarg. muriat. mitis gr. unum
Sachari albi scrupulum unum
M. D. in sextuplo S. horis alternis pulvis detur unus.

Rec.: Camphorae purae
Sulphuris stibiati rubri ana grana tria
Mucilaginis gummi arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam.
M. D. S. horis alternis cochlear modicum detur.

Vesicatorium simul nuchis impositum. Hora undecima per somnum respiratio peior etiam observata, humeris quidem vehementius per eam elevatis, abdominisque musculis gravius laborantibus. Aegrota hinc e cunis sublata melius respirare lusumque cupere videbatur. Hora secunda nobis ipsis respiratio aliquanto melior neque adeo sonora visa, sed cum arteriarum pulsus exploratum ibamus, manum infantis apprehendentes, plangore hinc suborto, confestim molestior incedebat, quartaque hora difficilior atque nunquam hucusque. Quum quivis tussis insultus fletum moveret, maximae inde natae anxietates, per quas aegrota summo cum virium nisu in matris ulnis circumiactaretur. Alvus ab hora inde secunda bis soluta, fecumque positarum ratio prorsus sana observata. Hora sexta respiratio aliquanto placidior audita, tussis autem acutissime resonabat, ex quo nihil adhuc, quod in arteria aspera resolutum esset, conii-

cere liceret; qui rerum status ad mediam usque noctem perstabat. Pulsus arteriarum, quorum rationem in infante perquam inquieto per pauca temporis modo momenta explorare possemus, frequentissimos eo tempore tetigimus, calorem corporis naturalem; urinas copioso sedimento valde turbidas vidimus. Superiora medicamina iam continuata, et mater simul admonita, ut, qui praesto erant sinapismi, quam primum peior aegrotae status evaderet, pedum plantis imponerentur. Nox ipsa per somnum aliquanto crebriorem commodius transacta, sed nullus, qui exoptatus esset sudor, provenit et respiratio aliquoties difficilior etiam per aliquantum temporis incessit. Postridie enim rogati, ut confestim aegrotae succurreremus, quippe quam parentes iam moribundam crederent, pessimum omnino deprehendimus eius statum summam quidem virium contentionem dum respirabat, pulsus arteriarum frequentissimos exilesque, mentem soporosam ac per intervalla modo lucidam; quam cum maxima concomitaretur anxietas, infans e cunis tolli ac circumgestari efflagitabat, ut mutando semper corporis situ illam aliquantum levare posset. Rariores tussis insultus experta aegrota, semel vero aliquem ita vehementem, per quem lymphae plasticae aliquot frustula expellerentur, tenuiora quidem ac colore suo viridiori ab intermixta pituita clare distinguenda. Urinae latericiae post aliquantum tempus copiosum posuere sedimentum. Quum parentes conquererentur, sese nullo modo ab aegrota impetrare potuisse, ut linctum sumeret camphoratum, pulverem sequentem praescripsimus:

Rec.: Hydrargyri muriat. mitis rite praeparati
Sulphuris stibiati rubri
Moschi optimi ana granum unum

M. D. in quatruplo S. per singulas horas pulvis suppeditetur unus.

Duo sinapismi, quibus radicis armoraceae aliquantum addideramus, pedum plantis simul impositi. Versus undecimam horam respiratio nullatenus mutata, tussis tamen fere omnis suppressa fuit atque aegrota mentis semper haud compos in conclavi circumgestabatur, quam mater plures etiam sedes fluidas hora decima posuisse referebat. Qua propter pulveres mercuriales illico removeri iussi simulatque diarrhoea recrudesceret. Naphthae aliquantum phialae infusum naribus puellae simul per singulas horas admoveri iussum, quo ea delectari videbatur. Hora sesquitertia vero pomeridiana in cunis iacebat ea prostrata, tanquam ipso correpta tetano. Thorax per inspirationem minus atque musculi abdominales commoti; tussis per integram horam siluerat omnis; facies pallidissima, labia livida venaeque iugulares tumidae comparuere. Matris ulnis susceptae corpus sustineri non potuit, sed mortui in modum collapsum. Vesicatorium nunc pectori impositum. Post horam aliquantum resuscitata phialam digito monstrabat caffeae decocto repletam, cuius aliquantum avide hauriret. Quo haustu vehemens motus statim vomitus, ac vehementissimae eundem insecutae vomituritiones; quibus permagna lymphae subviridis striisque distinctae cruentis quum expelleretur copia, tantum mentis et respirationis mox subsecutum levamen, ut qui aderant vix sensibus confidere suis auderent. Nec mirum, quod nos etiam stupefacti puellam hora sexta praeter omnem spem et opinionem non solum vivam, verum etiam mensae adsidentem ac ludentem deprehenderêmus, simulque haud magno cum nisu respirantem. Simulatque autem fletus accedebat, respiratio etiam velocior et inspiratio sibilans observabantur. Tussis aderat frequens et cum magno saepe nisu coniuncta, praesertim quum pulverem unum aut caffeae decocti aliquantum hausisset, quod iam continuo postularet. Interdum ita vehemens eam tum invasit, ut convulsivam fere tussim referret, ut

qua vultus rubore suffunderetur et intumesceret. Pulsus arteriarum frequentes nec tamen irregulares erant, calor corporis omnino naturalis et labia iusto iterum tincta rubore. Quum diarrhoea iam bis rediisset, mater pulveres ex hydrargyro, sulphure stibiato rubro et moscho paratos tam diu seiunctos a se invicem exhiberi iussa, usque dum illa sedata esset. Horam nonam et decimam inter vespertinam morbus haud gravior observatus. Neque tussis modum excessit, neque plus neque minus lymphae plasticae reiectum. Attamen parentes qui redemtam filiolae salutem sibi iam gratularentur, a nobis admoniti, ne nimium sperarent, veritis quidem, ne recens lymphae exsudatae colluvies iusto citius respirationem denuo praepediret; quod utique iam versus diluculum proximum factum. Pridie nonas Ianuarias quidem noctem somno tranquillo in universum transactum esse referebant tussique crebriori multum lymphae sanguine intermixtae ab aegrota reiectum, quae vero non membranacea sed fluida semper fuisset, viridique solum colore ab admixta pituita distingui potuisset. Hora octava respiratio multo impeditior graviusque sibilans incedebat, aegrotaque valde inquieta ulnis continuo circumgestari efflagitabat. Maioribus vero lymphae plasticae frustis vomitu abhinc reiectis, hora undecima aliquanto meliorem sese habebat, alacriorque crepundiis suis ludebat. A vespera inde praeterlapsa quum quater alvum posuisset laxam, pulveribus, quos hydrargyrum muriaticum mite ingrederetur, nunc remotis, sulphure stibiato moschoque mixtos solum illos continuari iussimus. Iam in variis corporis regionibus maculae veluti in scarlatina rubicundae nunc prodibant nunc disparebant. Hora tertia pomeridiana respirationem valde perturbatam ostendit, qua humeri musculique abdominales violentius distraherentur. Tussi licet crebriori nihil omnino reiectum nulloque modo impetratum, ut potus aliquantum aegrota

hauriret. Versus sextam autem horam caffeae decoctum ultro postulatum, quo sumto tussis continuo ingravescit fere convulsiva, vomituque per eam suscitato larga lymphae plasticae copia reiecta comparuit. Hora tertia et quinta alvum denuo posuit laxum nec tam copiosam atque tempore antemeridiano. Pulsus arteriarum exiles ac frequentes, calor fere naturalis, urinae admodum turbidae erant; sudoris nullum aderat vestigium. Quorum symptomatum fere nullum hora decima immutatum prostabat. Quoties aegrota aliquem sumserat potum, tussi vehementiori vomituque inde natis lympha plastica reiecta fuit. Proxima nox placido praeterlapsa somno, qui ne temere turbaretur, pulveres rariores per eandem noctem suppeditati. Alvus bis rite exonerata. Diarrhoea nulla comparuit. Ipsis nonis Ianuariis hora octava respiratio melior nobis visa atque diebus aliquot praecedentibus. Potum sumtum tussis semper ac vomitus insecuti, quo lymphae plasticae aliquantum eiiceretur interdum rotundae aut grumosae striisque distinctae cruentis. Nec maculae scarlatinosae in variis corporis partibus obviae penitus decessere. Circa meridiem et vesperam quibus aegrotam inviseremus, nunc melior nunc impeditior alternis vicibus respiratio procedebat, plus minusve sonora, ipsaque inspiratio licet placidior, interdum sibilans, absque tamen ulla virium contentione, per totum diem nos offendebat. Corpus multum calebat, pulsus arteriarum licet frequentes adhuc clarius atque pridie discerni poterant. Sitis permagna, totumque corpus pallido quodam rubore suffusum erat, aegrotae ita molesta, ut semper scabi vellet. A. VI. idus Ianuarias nullus in respiratione virium nisus obvius, vox autem eadem rauca atque ante erat, nec sonus tussis immutatus, ita ut quae faceret verba, percipi non possent. Quum tussis interdum adhuc licet rarius atque antea vere convulsiva erumperet, magna saepe lymphae plasticae frusta

per eam reiecta, quae striis tamen cruentis destituta fuere. Rubor ille per totum corpus, excepta facie, diffusus, idem permansit. Alvus rite soluta, urinae vero continuo turbidae missae. Ob gravem virium iacturam sub tali quidem rerum statu haud mirandam aegrota in cunis semper recumbere cupiebat. Pulsus arteriarum frequentes quidem sed non exiles, calor corporis auctus sudorque nullus observati. Quapropter praescripsimus:

Rec.: Moschi optimi grana sex
Sulphuris stibiati rubri grana tria
Mucilaginis g. arabici unciam semis
Syrupi Althaeae unciam unam
M. D. S. horis alternis cochlear detur minus.

Postridie symptomata omnia eadem observata, excepto rubore, qui altior compareret. Per tussim nonnunquam sat violentam lymphae plasticae frusta crebrius reiecta. Medicamenta, quae praescripta fuere sedulo suppeditata. Praeter caffeae decoctum lacte dilutum aegrota cibum potumque quoscunque alios recusabat. Die decimo Ianuarii tracheitis quidem quoad respirandi difficultatem haud deterior observata, raucedo vero tussisque sonus ultra mensem adhuc perstabant. Ruborem scarlatinum intra biduum fugatum desquamatio secuta epidermidis copiosa per totum corpus. Quum vero aegrota in dies evidenter magis maceresceret, nullis frueretur alimentis praeter caffeae decoctum lacte dilutum, semper febricitaret, atque ut plurimum soporosa iaceret, ita ut potus aut medicaminum sumendorum in finem excitari demum eam oporteret, status eius non poterat non in universum peior in dies evadere. Medicamina insuper ita aversabatur, ut praeter exiguam moschi copiam sulphure stibiato rubro mixtam nihil assumeret. Post tres hebdomadas ex quibus tristis hic status perdurasset, urinarum etiam secretio dimi-

nui ac primum pedum oedema, mox intra octiduum totius corporis modica intumescentia, cum eaque perfectum inde nasci coepit anasarca, ita ut facies etiam valde tumida conspiceretur. Quapropter decoctum radicis saleb a nobis praescriptum, cui liquoris ammonii acetici squillaeque extracti non nihil admisceri iuberemus, oleumque simul terebinthinae, unguento hydrargyri cinereo mixtum, abdomini iussu nostro infricatum. Hinc urinae mox largius missae, ita ut tumore omni intra quatuor dies fugato, aegrota sceleton verum cute involutum referret, neque ulla arrideret nobis spes, fore ut eam a morte tandem redemtam obtineremus. Quam ob causam animam chinae sic dictam praescripsimus, aliquanto squillae adhuc admixto, quo largiores etiam urinae secernerentur. Ut ipsa assumerentur alimenta, nullis unquam ab aegrota impetrari potuit remediis, praeter caffeae decoctum omnia detrectante. Praeter omnem autem spem ac opinionem moribunda quasi vita resurrexit, ciborum quidem appetitu reduce facto eoque tanto ut in bulimiam degeneraret. Iam hydropis symptomatibus deletis animam chinae solam continuari iussimus. Permultum tamen temporis durabat, antequam pristinae restituerentur vires ac tres integri menses praeterlapsi antequam pristinus corporis vigor quod diu adhuc macilentum, reduceretur. Dum haec autem scribimus, puella omnino sana dicenda, postquam a tertio inde Ianuarii die ad decimum quartum usque camphorae solum grana octo, hydrargyrique muriatici mitis grana triginta et sex, multo maiorem vero etiam sulphuris stibiati rubri et moschi copiam assumserat, illius quidem drachmam unam cum granis triginta, huius drachmam unam et quadraginta grana duo. Nec non de medicaminibus hisce, sulphuris quidem stibiati rubri grana sex, moschi grana decem et hydrargyri muriatici mitis grana duodecim posthac adhuc sumebat.

ENUMERATIO

SCRIPTORUM IN HAC COMMENTATIONE ALLEGATORUM.

Alexander, *Disney*, A treatise on the nature and cure of the Cynanche trachealis, commonly called the Croup. Huddersfield 1794. 8.

Archer on Cynanche trachealis commonly called Croup or Hives. Philadelph. 1798. 8.

Autenrieth, *I. H. Fr.*, Versuche für die prakt. Heilkunde. Tübing. 1807. Bd. 1. Heft 1.

Anderson, *James*, Annals of Medecine. By A. Duncan sen et iun. Vol. IV. Lust. II. Vol. I. 1800 — 1805.

Baillie, *Matthew*, A Series of Engravings accompanied with explanations, which are intended to illustrate the morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. London 1799 — 1802. 4.

Idem. Neue Bemerkungen über die Anatomie des krankhaften Baues von einigen der wichtigsten Theile des menschlichen Körpers. — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Ärzte. Leipzig 1803. 20. Band. 3. 4. Stück. S 323 — 478.

Ballonii, *G.*, epidemiorum et ephemeridum libri duo. Venetiis 1734. 4.

Bard, *Samuel*, Transactions of the American Philosophical Society held at Philadelphia for promoting useful knowledge. Philadelphia 1771. 4. Vol. I.

Barker, *I.*, The medical Repository, and Review of American publications on medecine surgery and auxiliary branches of philosophy. Conducted by Mitehill and Miller. New-York. 1802. Vol. VI. No. 1. pag. 18 — 24.

Barton, *B. S.*, Collections for an Essay towards a materia medica of the united states. Philadelphia 1801. Part. I.

Bayley, *R.*, Cases of the angina trachealis, in a letter to William Hunter, New-York. 1781. 8.

Idem. An account of the epidemic fever which prevailed in the city of New-York, during part of the summer and fall of 1766. New-York 1766.

Beauschesne, Observations sur un croup aigu. — Journal géneral de Médecine, de Chirurgie et de Pharmacie, rédigé par Sédillot. Paris 1804. Tom. XXI.

Bergen, *C. A.*, de morbo truculento infantum, hoc anno hic Francofurti et in vicinia grassante. — Nova Acta Physico-medica Academiae Caesareae Leopoldino-Carolinae naturae curiosorum. Norimbergae 1761. Tom. 2. p. 157. 158. 4.

Boerhave, *H.* et *Ruysch*, *Fr.* — Opusculum anatomicum de fabrica glandularum in corpore humano, continens binas epistolas quarum prior est Hermanni Boerhave, super hac re, ad Fredericum Ruyschium; altera Frederici Ruyschii ad Hermannum Boerhave, qua priori respondetur. Lugduni Batavorum 1722. 4.

Bonetus, Sepulchretum s. Anatomia practica. Genevae 1700. Tom. I. fol.

Borrowe, *Samuel*, An inaugural dissertation on the Cynanche trachealis. New-York. 1793. 8.

Burton, The Medical and Physical Journal. London 1800. — Physisch medizinisches Journal. Leipzig 1800. 8.

Bussière, A letter from Mr. Bussière. F. R. S. concerning a substance etc. Dn. Bussière epistola de substantia vas aliquod pulmonale referente, tussi reiecta. Acta Eruditorum 1701. 4.

Callisen, Acta Societatis medicae Hafniensis. Hafniae 1777. Tom. I.

Carron, *J. I.*, Observations sur le Croup. — Journal général de Médecine, de Chirurgie et de Pharmacie etc. rédigé par Sédillot. Paris 1807. Tom. 28. pag. 241 sqq.

Caron, *I. Ch. Fel.*, Traité du Croup aigu. Paris 1808. 8.

Chalmers, *L.*, Account of the weather and diseases of South Carolina. Vol. II. — L. Chalmers Nachrichten über die Witterung und Krankheiten in Südcarolina. Stendal 1792.

Cheyne, Essays on the diseases of children, with cases and dissections. Essay I. of Cynanche trachealis or Croup; Edinburgh 1801. — Essay II. on the Bowel complaints etc. Edinburgh 1802. 8.

Cookson, Diss. de asthmate acuto infantum. Edinburg. 1780. 8.

Corvisart, Essay sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux, publié par Horeau, à Paris 1806.

Cotunni, de sedibus variolarum syntagma. Viennae 1771.

Crawford, Diss. de Cynanche stridula. Edinb. 1777. 8. vid. Thesaurus medicus novus Edinburgensis. Edinb. et Londin. 1785. Tom. I. p. 210 sqq.

Cullen, Anfangsgründe der prakt. Arzneiwissenschaft. Leipzig 1778. Band 1.

Idem, Synopsis nosologiae methodicae. Ticini Regii 1787.

Dalberg, *N.*, Tal om nagra det Suenska Climatets Förmaner och Olägenheter i anseende til hälsan, hallet, uti Hans Kongl. maj'ts höga närvaro för Kongl. Vetenskaps — Akademien, vid. Praesidii nedläggande, d. 2 Maji 1777. af Nils Dalberg. Stockholm. 8.

Darwin, Zoonomie, oder Gesetze des menschlichen Lebens; aus dem Engl. übersetzt von Brandis. Hannover 1797. Band 1. Abschn. I.

Desault, Oeuvres chirurgicales par Bichat. Paris 1802. Tom. 2. 8.

Double, Journal général de Médecine, de Chirurgie et de Pharmacie, rédigé par Sédillot. Paris 1805. Tom. XXII.

Dreyssig, Handbuch der medicinischen Diagnostik. Leipzig 1801. Band I.

Dupuytren, Expérience sur l'influence, que les nerfs du poumon exercent sur la respiration: par Pinel et Hallé, rapporteurs. Moniteur No. 204. 1807.

Des Essartz, *I. C.*, Mémoire sur le Croup, lû à la classe des Sciences mathématiques et physiques de l'Institut de France, dans les Séances des 22, 29 Juin et 6 Juillet 1807. à Paris 1807.

Ettmüller, Opera medica theoretico-practica. Francof. ad Moenum 1696. fol.

Fauchier, Journal de la Societé de médecine de Montpelier. An 1805.

Fernelii, *I.*, Universa medicina. Genevae 1669. fol.

Ferriar, *I.*, Medical History and Reflexions. London 1798. Vol. 3. 8. — Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Ärzte. Leipz. 1800. Band 19. S. 238 — 249.

Field, *H.*, Memoirs of the Medical Society of London, Vol. IV. et V. Lond. 1795. 1799.

Fielitz, Beobachtung von Herrn Fielitz, Wundarzt zu Luckau in der Niederlausitz. — Richters chirurg. Bibliothek. Göttingen 1785. 8. Band. 1. Stück. Seite 530 — 532.

Formey, Versuche für die praktische Heilkunde aus den klinischen Anstalten von Tübingen vom Professor I. H. F. Autenrieth, I. Band, 1. Heft. Tübingen bei Cotta 1817. VIII. und 228 Seiten in 8vo. angezeigt vom Herrn Geheimenrath und Leibarzt Dr. Formey in Berlin, im Archiv für praktische Medizin und Klinik von Dr. E. Horn. Berlin 1807. Bd. 3. Heft 3. Seite 345 — 575.

Frank, *I. P.*, De curandis hominum morbis epitome. Venetiis 1794. lib. II.

Fürstenau, *H. G.*, programma de angina membranacea. Rintelii 1794. 8.

Ghisi, Lettre mediche. La prima delle quali tratta di vari mali, curati col Mercurio crudo; et e la seconda contiene l'istoria delle angine epidemiche degli anni 1747, e 1748. In Cremona 1749. 4.

Goede, Praeside Reil, diss. pathologiam dysenteriae continens. Halae 1795. 8.

Gölis, *L. A.*, Warnung vor der häutigen Bräune, einer gefährlichen und schnell tödtenden Krankheit der Kinder, sorgfältigen Müttern gewidmet. Wien 1808. 8.

Gutfeldt, Bemerkungen über die häutige Bräune. — Neues Archiv für medizinische Erfahrung, von E. Horn. Berlin 1805. Band 2. Heft 1. Seite 69 — 88.

Halenius, Berättelser, inlämnade til Kongl Collegium medicum etc. etc. Vid. Vogels neue medizinische Bibliothek, Band 7. Stück 1. Seite 143. u. f. Göttingen 1767.

Harles — Bestätigte Heilsamkeit des versüfsten Quecksilbers gegen den Croup, von James Anderson senior, in Edinburgh. — Neues Journal der ausländischen medizinisch-chirurgischen Literatur. Herausgegeben von Hufeland und Harles. Band I. S. 214 — 216. (Der Zusatz ist von Harles.)

Harles. Eine schnell tödtliche Angina Polyposa, mit der Leichenöffnung und einigen Bemerkungen. — Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, von Hufeland. 6. Band. 3. Stück. Seite 559 — 616.

Harris, *T.*, The Philadelphia medical and physical Journal: collected and arranged by Barton. Philadelphia 1805. Part. I.

Heberden, *G* Commentarii de morborum historia et curatione. Recudi curavit S. Th. Soemmerring. Francofurti ad Moenum 1794. 8.

Hildanus, *Fabricius*, Opera quae extant omnia. Francof. ad Moenum 1646. fol.

Hippocratis, Opera omnia. Edidit Haller, IV Tom. 8. maj. Lausannae 1784.

Hoffmann, *C. L.*, von den Pocken. Mainz 1789. Band 2.

Home, An inquiry into the nature, cause and cure of the Croup. 8. Edinburgh 1765.

Hufeland, *C. W.*, Journal der praktischen Heilkunde und Wundarzneikunst. Jen. 1800 Bd. 9. St. 2. S. 180. — Beobachtung der Bräune bei einem Erwachsenen. (Der Verf. dieser Beobachtung hat sich nicht genannt.)

Johnstone, Treatise on the malignant angina or putrid and ulcerous sore-throat to which are added some remarks on the angina trachealis. Worchester 1779. 8.

Jonas, Millarsches Asthma und häutige Bräune. — Journal der praktischen Heilkunde von Hufeland. Band 20. Stück 1. S. 136 — 150.

Kiesewetter, Reichsanzeiger. 1801. No. 12.

Leeson, Medical and Physical Journal, conducted by Bradley and Willich. Lond. 1801. Novembre. — Physisch-medizin. Journal nach D. Bradley und D. Willich, für Deutschland bearbeitet und mit Originalbeiträgen vermehrt von D. C. G. Kuhn. Leipz. 1811. 2. Jahrgang. November. S. 801 — 806.

Lentin, Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. Leipz. 1789. I. Band.

Lentin, *L. F. B.*, Beitrag zur Heilung der angina polyposa (Croup) — Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, von C. W. Hufeland. Jena 1796 Band 2. St. 3. S. 167 — 182.

Lentin, *L. F. B.*, Äufserung des Leibarztes Lentin zu Hannover, über die Erfahrungen, die häutige Bräune betreffend, welche Herr Dr. Most zu Nordhausen im dritten Stücke dieses Journals S. 97 u. f. einrücken lassen. — Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, von C. W. Hufeland. Jena 1800. Band 9. Stück 2. S. 96 — 99.

Leroy, Heilkunde für Mütter, oder Kunst Kinder zu erziehen und zu erhalten, aus dem Französischen mit Anmerkungen von Fischer. Hildburghausen 1805. 8.

Lotichii, Diss. de angina infantum tracheali polyposa. Lugdun. Batavor. 1802. 4.

Louis, *M.*, Mémoire sur la Bronchotomie. Mémoires de l'Académie royale de Chirurgie, à Paris 1768. 8. Tom. XII. p. 201 — 291.

Macbride, Introductio methodica in theoriam et praxin medicinae. Bas. 1783. 8. Tom. 2.

Mahon, Histoire de la Societé Royale de médecine. Paris, an 1777 et 1778.

Mertens, Betrachtungen der faulen Fieber, der Pest und einiger anderer Krankheiten, aus dem Lateinischen. Goettingen 1779.

Michaëlis, De angina polyposa, s. membranacea. Goettingae 1778. 8.

Michaëlis, *C. F.*, medicinisch praktische Bibliothek, Göttingen 1785. Bd. I. St. 1.

Millar, *I.*, Observations on the asthma and on the hooping cough. London 1769. 8.

Moreau, *Renardus*, de laryngotomia. Vid. Bartholinus de angina puerorum Campaniae. Paris 1646. 8.

Morton, *R.*, Opera medica. Genevae 1696. 4.

Most, *D. C. G. B.*, Etwas über den Gebrauch des Quecksilbers bei Entzündungen, besonders bei der häutigen Bräune. — Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, von C. W. Hufeland, Jena 1799. Band 9. St. 3. S. 97 — 110.

Murray, De polypis bronchiorum. Vid. Novi Commentarii Goettingenses, Vol. IV.

Navier, Dissertation en forme de lettre sur plusieurs maladies populaires, qui ont regné depuis quelques années à Chalons sur Marne et dans une partie du royaume. à Paris 1753. 8.

Pearson, *R.*, Case of angina trachealis or Croup, successfully treated by Mons. Pinel, first Physician to the Salpetriere-Hospital at Paris: (from a Work first published by this Author under the Title of „Médecine clinique" Paris an X. [1802.] To which are added, some remarks relative to the Treatment of this Disorder and particularly relative to the beneficial effects produced by the Inhalations of Aether-Vapour.

Pinel, *Ph.*, La médecine clinique rendue plus précise et plus exacte par l'application de l'analyse, 2. édition, à Paris an XII. (1804.) 8. Idem, Moniteur 1808. No. 223.

Piso, *N.*, De cognoscendis et curandis corporis morbis. Lugduni Batav. 1736.

Portal, *V.*, Histoire de l'Académie royale des sciences. Ann. 1780.–4.

Portal, *V.*, Mémoires de la Societé médicale d'émulation, à Paris. An. V.

Portal, *A.*, Beobachtungen über die Natur und Behandlung der Lungenschwindsucht. Aus dem Französischen mit Anmerkungen von G. F. Mühry. Hannover 1799. Band I.

Portal, *M.*, Observations sur la structure et sur les altérations des glandes du poumon, avec des rémarques sur la nature de quelques symptomes de la phthisie pulmonaire. Voyez Histoire de l'Académie royale des Sciences. Ann. 1780. à Paris 1784. 4.

Quentin, — Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, von C. W. Hufeland. Jena 1800. Band 9. Stück 3. S. 191 — 93.

Rechou, — Journal général de médecine, de chirurgie et pharmacie, rédigé par Sédillot, à Paris 1805. Tom. XXII.

Reil, *I. C.*, Commentatio de affectibus laesae respirationis et deglutitionis, morbo varioloso propriis. — Memorabilium clinicorum medico-practicor. Fasc. III. Hal. 1792. p. 55.

Rhazes, — Vid. Alexandri Tralliani de arte medica libri XII. Jo. Guinter interprete: und cum Rhazaei libro et fragmentis variis de variolis et morbillis, iuxta novissimam et optimam cl. Channingi editionem. Porro eiusdem Alexandri de lumbricis epistola. Recudi fecit et praefatus est A. de Haller. Lausannae 1772. Tom. II.

Richerand, Mémoires de la Societé médicale d'émulation pour l'an VII. de la république. Paris, an VIII. (1800.)

Richerand, *A.*, Untersuchungen über die Gröſse der Stimmritze und über den Zustand der Scheidenhaut in der Kindheit. — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch praktischer Ärzte. Leipzig 1801. 20. Band. 1. 2. Stück. S. 140 — 150.

Richerand, Nosographie chirurgicale. Paris 1805. 3 Volum.

Riverius, Opera medica universa. Francofurti 1669. fol.

Rosenstein, Anweisung zur Kenntniſs und Kur der Kinderkrankheiten, übersetzt von Murray. 6te Auflage. Göttingen 1798. 8.

Le Roy, Alphonse, du mal de gorge des enfans. — Revue philosophique et litteraire. Tom. III. trim. Aout. 1807.

Rumsey, *H.*, an Account of the Croup, as it appeared in the town and neighbourhood of Chesham, in Buckinghamshire, in the years 1793 and 1794. — Transactions of a Society for the Improvement of medical and chirurgical Knowledge. Vol. II. — Beschreibung des Croups, wie er in der Stadt Chesham und ihrer Nachbarschaft, in Buckinghamshire, in den Jahren 1793 und 1794. herrschte; von Heinrich Rumsey, Chirurg in Chesham. Mitgetheilt durch Dr. Clarke. Neues Journal der ausländischen medizinisch-chirurgischen Literatur. Herausgegeben von Hufeland und Harles. Nürnberg 1804. Band I. S. 148 — 180.

Rush, *B.*, Observations on the spasmodic Asthma of Children in a letter to Dr. Millar. London 1770. 8.

Rush, medicinische Untersuchungen und Beobachtungen, aus dem Engl. Leipz. 1792.

Russel, The oeconomy of nature in acute and chronical diseases of the glands. London 1775. 8.

Rutty, A chronological history of the weather and seasons and of the prevailing diseases in Dublin. London 1770. 8.

Salomon und *Baeck*, Abhandlungen der königl. schwed. Akademie der Wissenschaften, aus dem Schwedischen übersetzt von Kästner. Leipzig 1776. XXXIV. Band.

Schäffer, Bemerkungen über einige ungewöhnlichere und noch weniger beschriebene Kinderkrankheiten von Herrn Dr. Schäffer zu Regensburg. Fürstl. Thurn- und Taxischem Hofrath. — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Ärzte. Leipzig 1793. Band 16. Stück 1. S. 116 — 132.

Schwarz, *A.* — Neues Journal der praktischen Arzneikunde und Wundarzneikunst, herausgegeben von Hufeland. Berlin 1802. Band 8. Stück 2. S. 149 — 153.

Schwilgué, *C. I. A.*, Du Croup aigu des enfans, à Paris 1802. 8.

Selle, *Chr. G.*, Entwurf einer systematischen Fieberlehre, aus dem Latein. von E. G. Hopff. Tübingen 1791. 8.

Severinus, *M. A.*, De pestilente ac praefocante pueros abscessu. Lugd. Batav. 1724. 4.

Severinus, *M. A.*, De paedanchone maligna, seu de theriomate faucium pestis vi pueros praefocante. Cui accessit Commentarius cl. viri Thomae Bartholini, s. l. et a.

Sherwin, *John*, Von einer gefährlichen Verstopfung in der Luftröhre, wobei Mudge's Dunstmaschine (Inhaler) sich nützlich erwies. — Medicinische Commentarien von einer Gesellschaft der Ärzte zu Edinburgh, a. d. Engl. Altenburg 1789. Band 7. S. 77—91.

Simpson, De asthmate infantum spasmodico. Edinburg 1761. 8.

Sims, *Jacob*, Bemerkungen über epidemische Krankheiten, a. d. Engl. Hamb. 1775.

Smith, *John*, A case of Croup, successfully treated by emetics. — Memoirs of the Medical Society of London, 1805. p. 74 sqq. — John Smith Heilung der häutigen Bräune (Croup) durch Brechmittel. — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche praktischer Ärzte. Leipzig 1806. 23. Band, 2. Stück. S. 261. 262.

Soemmerring, *S. Th.* — Götting. gelehrte Anzeigen, Jahrgang 1804. Stück 63.

Sömmerring und *Reifseisen* über die Structur, die Verrichtung und den Gebrauch der Lungen. Zwei Preisschriften, welche von der Königl. Akademie der Wissenschaften zu Berlin den Preis und das Accessit erhalten haben. Berlin 1808. 8.

Sprengels, *K.*, Handbuch der Pathologie. Leipzig 1796. Theil 2. 8.

Starr, *I.*, An Account of the morbus strangulatorius. communicated in a letter. — Philosophical Transactions for the year 1749 et 1750. London 1752. 4.

Sternberg. — Reichsanzeiger 1801. No. 85.

Stieglitz, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlungsart des Scharlachfiebers. Hannover 1807. 8.

Stoll, *M.*, Ratio medendi. Viennae 1790. Pars VII.

Sue, Mémoires de l'Académie royale de chirurgie. Vol. XIV. 8.

van Swieten, Commentaria in omnes Aphorismos Hermanni Boerhave de cognoscendis et curandis morbis. Bassani 1788. Tom. IV. 4.

Thilenius, *M. G.*, medicinische und chirurgische Bemerkungen. Frankf. a. M. 1789. 8.

Thomann, *I. N.*, Annalen der klinischen Anstalt in dem Julius-Hospital zu Würzburg für das Jahr 1800. Würzburg 1803. 8.

Townsend, *I.*, Anweisung für angehende Ärzte zu einer vernunftmäfsigen nach Cullen's Nosologie eingerichteten medicinischen Praxis, a. d. Engl. von Michaëlis. Leipz. 1796. 8.

Tulpii, *N.*, Observationes medicae. Amstelaedami 1642. 12mo.

Ueberlacher, Abhandlung vom Scharlachfieber. Wien 1789. 8.

Vaughan. — Medical Repository conducted by Samuel L. Mitehill, M. D. and Edward Miller, M. D. New-York 1809. Vol. 3.

Vetter, Aphorismen aus der pathologischen Anatomie, Wien 1803.

Vieusseux, *G.*, Observations sur le Croup, par G. Vieusseux. — Journal de médecine, chirurgie, pharmacie etc. par Corvisart, Leroux et Boyer, à Paris 1806. p. 422 sqq. — G. Vieusseux d. A. Dr. zu Genf über die häutige Bräune (Croup.) — Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche prakt Ärzte. Leipzig 1807. 24. Band. St. 1. 2. S. 153—179.

Vicq d'Azyr, Dictionnaire de Médecine, de l'Encyclopédie méthodique, Article Angina.

Vogels, Handbuch der prakt. Arzneiwissenschaft. Stendal 1795. Band 4.

Völckers, Beilage zum 14. Stück der Ratzeburgischen literarischen Blätter. Sonnabend den 2. April 1808.

Wainwright, *T.*, The medical and physical Journal. Conducted by Dr. Bradley and Dr. Willich. London 1800 Month April. — Physisch-medizinisches Journal, nach Dr. Bradley und Dr. Willich: für Deutschland bearbeitet und mit Originalbeiträgen vermehrt von Dr. K. G. Kuhn. Leipz. 1800. April. S. 273—277.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik, beobachtenden Ärzten mitgetheilt. Hann. 1797. Bd. 2.

Wilcke, Dissert. medica de angina infantum, in patria recentioribus annis observata, quam praeside Samuele Aurivillio publico eruditorum examini submittit H. C. D. Wilcke. Upsal. 26. Jun. 1764. Recudi curavit Sandifort in Thesauro dissertationum Vol. 2. Roterodami 1769.

Willan, *R.*, Reparts on the diseases in London, particularly during the years 1796, 97, 98, 99 and 1800. London 1801. 8.

Withering, An account on the scarlet-fever and sore-throat, or scarlatina anginosa, particularly as it appeared at Birmingham in the year 1778. London 1779. 8.

Wolff, Über die Luftröhrenbräune der Kinder. Altona 1808. 8.

Wrisberg, Commentatio de variolis, quibus internae corporis humani partes contaminari dicuntur. Observationibus anatomicis superstructa. — Novi Commentarii Societatis Regiae Goettingensis. Goettingae 1775. 4. Tom. V. p. 66—90.

Yelloly, *I.*, diss. de Cynanche tracheali. Edinburgi 1796. 8.

NOMINA CORRIGENDA.

Pag.	8	in notis	—	Rutly	leg.	Rutty
—	19	lin. 12	—	Ruyschii	l.	Rushii
—	19	— 25	—	Baek	l.	Baeck
—	65	— 10	—	Formeius	l.	Formeyius
—	71	— 8	—	Stutgardiae	l.	Tubingae
—	72	— 11	—	Wahlboomius	l.	Wahlbomius
—	81	— 20	—	Wiecke	l.	Wilcke
—	133	— 15	—	Bedmannus	l.	Redmannus
—	146	— 12	—	Chalmerum	l.	Chalmersium
—	150	— 25	—	Vicq-d'Azur	l.	Vicq d'Azyr

—	136	— 18	—	not give	l.	I would not give